



vh. Mus. Bibl. / Sp



ANIMADVERSIONES  
 EXEGETICÆ ET DOGMATICO-  
 PRACTICÆ  
 IN  
 EPISTOLAM S. PAULI  
 AD  
**PHILIPPENSES**

IN ALMA ELECTORALI FRIDERICIANA  
 EXERCITATIONIBUS PUBLICIS

XXIII. ORDINARIIS,  
 atque SOLENNI unâ

A. d. XIII. Septembr. ab horâ nonâ ad duodecimam,  
 ad disputandum propositâ.

PRÆSIDE

**JOACH. JUSTO BREITHAUPT,**  
 S. Th. D. P. P. Semin. Th. Direct. & Confil.  
 Consist. Ducat. Magdeb.

RESPONDENTE PERPETUO  
**WOLFGANGO BALTHAS. RAUNERO,**  
 AUGUSTA-VINDELICO.

---

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.  
 ANNO MDCCIII.



VIRIS

Reverenda Dignitate,  
Celebritate, Virtute, Doctrina, Pietate  
& Autoritate,  
EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS,  
ECCLESIAE LIBERÆ,  
& Imperialis Reipublicæ Augustanæ  
Aug. Conf. addictis,

**BIGÆ SENIORUM**

Spectatissimæ, Gravissimæ,  
cæterisque

**PASTORIBUS atq; DIACONIS**

meritissimis, vigilantissimis, fidelissimis,

*Dominis, Patronis ac Fautoribus*  
suis omni observantia colendis,

Exercitium hoc Academicum, ceu debitum honoris  
monumentum, sacrum esse vult

WOLFG. BALTHASAR RAUNERUS.



V I R I  
ADMODUM REVERENDI, EXCELLENTIS-  
SIMI, AMPLISSIMI, CLARISSIMI  
VERBI DIVINI PRÆCONES

DIGNISSIMI,  
ECCLESIAE PATRIÆ  
LUTHERANO-EVANGELICÆ  
ANTISTITES ET MINISTRI  
GRAVISSIMI,  
*DOMINI AC PATRONI VENERANDI!*



Vod Epistola ad Philip-  
penses de Epaphrodito  
testatur, qui ipsorum  
causâ Apostolum omni  
honoris, amoris & officii  
cultu profecutus sit; eo-  
dem erga Vos, Viri maxi-  
mopere colendi, qui Ec-  
clesiam Patriam divino  
verbo & curâ Paulinâ pascitis, studio ac observantiâ  
me duci debere, facile intelligo. Et verò ipsè me Ve-  
strum omninò profiteor, gaudeoque & peregrè in  
Academiis agens, verba illa: CUM TIMORE ET TRE-  
MORE VESTRAM SALUTEM OPERAMINI! quasi in-  
ter cives nostros ex ore Vestro & meminisse & se-  
qui. Qui quidem obsequio erga Venerabiles Digni-




gnitates Vestras affectus, cum in Electorali Friderici-  
ana, superioribus Augusti mensis diebus, in id incum-  
berem, ut Epistolæ ad Philippenfes scopum, men-  
tem & dogmata investigarem exquisitius, atque in  
Animadversiones illustrandi sensus ususq; ergò pro-  
positas, Respondentis officio publicè defungerer;  
singula doctrinæ Epistolicae momenta, quæ in Ec-  
clesia assiduò tractatis gravissimè, commonefacere  
me visâ sunt, ut specimine hoc Theologico Vobis  
decenter offerendo ostenderem, me quoq; absente,  
ut filium decet, Epaphroditici animum erga Vos ge-  
rere, Vestraq; & doctrinæ & vitæ exemplar vene-  
rari. Accipite, Patroni, affectus observantissimi do-  
cumentum, ac benignè statuite, in eo me esse totum  
industria & precibus, ut Augustanæ Confessionis no-  
stræ monumenta ex Prophetarum & Apostolorum  
scriptis sincere explicare, fideliter confirmare, atq; so-  
lenter defendere asvescam. Ego vero Deum precari  
non desistam, ut Vos, Venerandi Ecclesiæ Patres! o-  
mnes & singulos, urbemque Patriam, cui de fide &  
sanctitate firmiter tuenda testimoniū ex verbo Dei  
quotidie traditis, porro constanter in Christo sospi-  
cet, ministeriumq; vestrum in Evangelio esse jubeat  
semper fructuosissimum. Ex Academia Halensi a.  
d. vii. Septembr. a. M DC XCV.

*VENERAB. DIGNITT. ET CL. NOM. VESTR.*

devotus cliens  
W. B. R.





ANIMADVERSIONES  
EXEGETICÆ ET DOGMATICO-PRACTICÆ  
in Epistolam  
AD PHILIPPENSES.

IN CAPUT I.  
I.

**S**Copus Epistolæ hujus est *pædagogicus*, dijudican-  
dus ex *circumstantiis* Ecclesiæ Philippensium, tum  
pristinæ Act. XVI, 9. 12. &c. tum iis, quæ postea  
inciderant, per Epaphroditum nunciatæ Paulo;  
à quo idem ad eos remittitur. Eluet ex cap.  
I, 5. 6. 9. 10. 11. 27. 28. 29. 30. c. II, 1. 5. 12. 25. c. III, 1. 17. &c. c. IV, 1. 4. 8.  
&c. Apostolus hortatur ad studium *Renovationis* firmiter  
excolendum, juxta rationem & *generalem*, & *specialiorem* mul-  
tiplicem, agnoscendam ex diversis conclusionibus.

II.

Cap. I. v. 1. Inscriptio ostendit, fideles appellari *sanctos*  
*in Christo JESU*, absque quo tales non fuerint. Communio  
isthæc, quod in Jesu Christo sint, fundatur in verâ fide E-  
phes. III, 17. censetur ex fructu, quod non secundum carnem  
incedant, sed secundum spiritum. Rom. VIII, 1.

III.

Eadem docet, totum Ecclesiæ cujusdam corpus digni-  
us habendum *Ministris* quibuscunque, utpote qui propter  
A iud



illud sunt: tamen si erga singulos spectati, honore duplici ornantur merito. 1. Tim. V, 17. Phil. II, 29.

IV.

V. 2. Quemadmodum Deus non excluditur à dominatu, ita nec Christus à Deitate. Conf. 1. Cor. VIII, 6. Dicitur autem hic Dominus peculiari modo, propterea quod homines officio mediatorio in libertatem vindicat. Joh. VIII, 36.

V.

Gratie & pacis spiritualis conservatio & accessio in Renovationis cultu est necessaria. 1. Pet. I, 2. Utraque datur, si Deus vere agnoscatur ut *Pater*, & Jesus Christus tanquam *Dominus*, ib. v. 17, 18, 19. 2. Pet. I, 2.

VI.

A v. 3. usque ad 9. Apostolus exorditur *moribus* atq; *affectibus* officio suo & intentione dignissimis, sic argumens: Quicumque tenerrime ab Apostolo amantur, ita ut pro iis gratias & preces ad Deum fundat cum gaudio & fiducia in vinculis de constanti communionem, hi sane suam ipsorum renovationem etiam atque curare debent.

VII.

*Gratiarum actio* est pars cultus divini primaria v. 3. nec temere omittenda v. 4. Eph. I, 16. 1. Cor. I, 4. Signum ejus illustre observatur precatio cum gaudio; item crebra inclinatio voluntatis ad agendas gratias, de bonis præsertim *spiritualibus*. v. 4, 5. Eph. V, 20. VI, 18.

VIII.

Precationes semper etiam pro aliis faciendæ, & quidem spirituali cum *affectu*, oriundo ex fide per charitatem efficacæ, & ratione *objectorum* circa eos ibid.

IX.

Versiculi 3, 4, 5. ita cohærent, ut *ἐπι* v. 3. & 5. denotet *objectum*, ibi *generale*, hic *speciale*, super quod Paulus afficiatur coram Deo. Prioribus duobus respondet *scilicet*, exprimens fidu-



fiduciam, cum grátiarum accióne & gaudio conjunctam, de præsentí gratia, atque hinc spe firmatam de futuro. Sextum confirmat *septimus* ita, ut juxta vers. 5. *κοινωνία* affectus, apud Apostolum residens, sub externis *circumstantiis* declareretur. Quæ quidem omnia resolvuntur in amorem vere spiritualem v. 8. cuius testandi ergo priora illa, tanquam documenta, prolata sunt.

X.

*Κοινωνία* εἰς τὸ εὐαγγέλιον emphaticè dicitur cum *propositione*, non modo statum notante, sed quoque terminum seu *finis* applicationem. Ipsa *κοινωνία* est communio gratiæ cœlestis, à qua v. 7. vocantur *συνκοινωνοὶ τῆς χάριτος*. Hoc autem gratiæ consortium *respectus* varios admittit, tendentes unice ad Evangelium stabiendum, id quod non tantum de fide per charitatem virtutes omnes, præcipuè *patientiam* v. 29, 30. efficiente verum est (de quâ primarie hic sermonem esse, docent v. 6. dictiones: *αὐτὸ τῆτο, ἔργον ἀγαθόν*) verum etiam de communicatis rebus externis. c. IV, 14, 15.

XI.

Opus bonum in hominibus est opus fidei Joh. VI, 28, 29. 2. Theff. I, 11. quod nec incipi nec perfidi potest, nisi ab ipso Deo. conf. Col. II, 12. Eph. I, 19. Rom. XIV, 20. *Distributive* usurpatur 2. Tim. III, 17.

XII.

*Δίκαιον* ἐμοὶ, justum mihi, ostendit justitiæ *respectum* esse variarum, ut inuitur c. IV, 8. isto: *ὅσα δίκαια*. Hic denotatur habitudo animi sibi constans circa Philippenfes; quos ut Paulus amore dignabatur illo sanctissimo, agnoscens gratiæ consortes, ita huic affectui congruere debebat fiducia de ipsorum perseverantiâ. Erat ergo ejusmodi respectus animi Paulini, de quo intra se judicare, solus poterat Apostolus coram teste & iudice DEO. v. 8.



conf. Rom. I, 9. Atque hoc declarare, maxime *moratum* est, concilians amorem spiritualem, præsertim cum Paulus intimam erga ipsos pietatem suam, radicatum quippe in visceribus Jesu Christi, quibus uniti per fidem erant, tectetur.

### XIII.

Ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ Χριστοῦ, in visceribus Jesu Christi: *ditio* hæc exprimit *fundamentum* affectus spiritualis seu *φιλadelphίας* altissimum. Primò significatur eâ, quod veri fideles ad gustum tenerrimæ dilectionis, quâ Christus suos amplectatur, pervenerint 1. Pet. II, 3, tum verò simul, quod eodem perfusi non possint non se mutuo similiter, prosequi in uno illo corpore Conf. c. II, 1. Luc. I, 78. Col. III, 12.

### XIV.

Nexus inter v. 8. & 9. præmissam argumentationem *transfert* ad *conclusionem*, quæ scopum integrum hujus epistolæ exhibet v. 8, 9, 10. hujusmodi: In renovatione vobis fideliter est pergendum. Hoc autem in viribus humanis cum nequaquam situm sit, sanctè *necessitas* illa effertur mentione *precum* eò laborantium. v. 9.

### XV.

Suum amorem ut in exemplum adducit Paulus v. 7. 8. ita v. 9. quod urget ac requirit, *articulo* emphatico ostendit in veri *amoris* cultu positum. Et verò notandum hic apprime, quod *Renovationis* negotium in charitatis habitu atque exercitio augendo collocetur. Uti enim *fides* se efficaciter exferit per charitatem Gal. V, 6. sic omnes *virtutes* in *charitatem Dei*, effusam in cordibus, tanquam in fontem ac principium suum, resolvuntur. Rom. V, 5. &c. conf. supra Animadv. X.

### XVI.

*Ratio sub qua* Renovatio excolitur per charitatem, poni.



ponitur ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει; in agnitione & omni sensu. In quæ verba optimè B. Sal. *Glasius* Rhet. S. p. 357. *Agnitio hæc est viva fides in Christum. Tit. 1, 1. 2. Job. XVIII, 3. Esa. LIII, 11. hanc comitatur αἰσθησις, sensus b. e. experientia interior anima, seu interior Spiritus S. in corde testimonium de gratia Dei & adoptione ad salutem: de quo Rom. V, 1-5. cap. VIII, 16. 17. XIV, 17. Et Hebr. V, 14. perfectorum est solidus cibus, nempe horum, qui propter habitum αἰσθητικῶν, sensus instrumenta habent exercitata, ad discretionem boni pariter & mali: b. e. qui per sedulam verbi divini meditationem, & multiplicem tentationem, ita in fide & pietate fundamenti sunt, ut spiritualibus spiritualia comparere, & omnia, religionem quæ spectant, rite dijudicare ex verbo Dei possint. 1. Cor. II, 13, 15. Cæterum existit inde renovatio mentis, si circa Legem & Evangelium ex cognitione fit agnitio, ut vivus hinc redundet sensus conscientiæ, & in omni ejusmodi sensu discrimen Legis atque Evangelii sic adhibeatur, ut charitatis vires semper efflorescant ex fide.*

### XVII.

Renovationis fructus est *δουλοκρατία*, facultas dijudicandi quæ discrepant v. 10. quæ tametsi & in irrogenitos certo modo cadere potest Rom. II, 18. non tamen vera isthæc spiritualis, eo cum effectu, ut homo inde reddatur sincerus & idoneus ad vitandam offensionem v. 10. ac repleatur justitiæ fructibus, qui non nisi per Jesum Christum, ut causam efficientem principalem, nascuntur. v. 11. Conf. Rom. XII, 2. Hebr. V, 14.

### XVIII.

Narratio historica v. 12. &c. instituitur, non meræ communicationis causa, verum ad stabiliendam apud Philippenses & communionem fidei laudatam, & imitationem in eadem unâ certandi & patiendi: ut patet v. 27. & 30. quo & preces pertinent, pro Apostolo constanter ad Deum faciendæ v. 19.

A 3

§. XIX.



## XIX.

Providentia divina ut in naturæ rēgno, ita & in re-  
gno gratiæ paulatim se exserere solet, ut profectus ma-  
gis magisq; sit expectandus. v. 12. 19. Quo ipso fidelium fi-  
ducia & spes probantur, quæ fundamento solido nitantur  
necessē est. v. 20.

## XX.

Vincula *manifesta in Christo* fieri dicuntur, quando ra-  
tio ipsorum innotescit, quod gerantur propter Evange-  
lium de Christo. Videtur autem ista emphasis & hoc vel-  
le, quod sub ea notitia ac sermone Christus sit efficax, &  
vel inde profectus Evangelii consequatur. Conf. Ephes.  
VI, 20.

## XXI.

Fiducia ex vinculis Pauli concepta significat, bene-  
cessisse apologiam Evangelii v. 17. ut hujus profectus ex-  
titerit v. 12. captivitasque Apostoli in toto prætorio atque  
aulâ Cæsaris (conf. Marc. XV, 16. Phil. IV, 22.) manifesta  
facta sit bono cum rumore. Eodem respicit invidia v. 15.  
ex quâ nonnulli Christum prædicarunt; cui opponitur  
*εὐδοκία*, affectus seu voluntas optima ib. (conf. c. II, 13. Rom.  
X, 1.) & charitas. v. 17.

## XXII.

Notatu dignum, quod Rom. II, 8. impii dicuntur *οἱ ἐξ  
ἐπιβίαις*, apud quos principium agendi est pacis spiritualis  
*oppositum*, incerta contentio; ex quâ & h. l. Christum præ-  
dicare adversarii affirmantur: idque propterea facere  
*ἐκ ἀγνώσεως*, non pure. Tametsi enim doctrina fuerit pura,  
impura tamen est intentio addita, & ipsa in multo doctrinæ  
dispensatio.

## XXIII.

Τί γὰρ; Quid enim? præ se fert *occupationem*, quod vi-  
deatur quidem ejusmodi prædicatio Evangelii ex parte  
gau-



gaudium non mereri. Ad quod respondetur sequentibus: *πλὴν*, attamen (conf. c. IV, 14. Ephes. 33.) quovis modo annunciatur Christus, ut, licet non de eo gaudendum, quod *προφάσι*, in speciem (conf. Marc. XII, 40. Joh. XV, 22.) id fiat; nec de hominibus ita docentibus, quos lacrymis Paulus prosequitur c. III, 18. tamen lætandum, quod veritatis doctrina provehatur. Huic & robur & causa nova adjungitur v. 19. inde, quod futurum sit fidelium precibus, ut pejor ista Ministrorum intentio Apostolo haud obfit, sed debeat vel hoc etiam modo facta prædicatio ipsius saluti cedere.

#### XXIV.

Verbum de Christo annunciatum seu Evangelicum; si per malos rectè proponitur, efficaciam suam non amittit, sed exferit quoque. Et si vero multum ædificationi auditorum detrahatur partim *precum* docentis, partim *exempli* in eodem requisiti, partim *experientie spiritualis* defectu, quo fit, ut is negotium Ministeriale non satis dignè circa Verbi tractationem in omnibus expedire, nec dono hac ex parte, quæ consistit in *ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰδήσει* v. 9. instructus esse possit: tamen quatenus verbum Christi adhuc verum docetur, eatenus omnino ædificandi virtutem habetque & præstat; imo & fidelium precibus, ac *supplicatione* (conf. Gal. III, 5.) spiritus Jesu Christi fieri potest, ut conatus Satanae per obstacula efficax infringatur. v. 19.

#### XXV.

*Spes vera & expectatio* (conf. Rom. VIII, 19.) creditum nulla in re unquam pudefit (conf. Rom. V, 5.) sed ex omnibus eo in statu contingentibus magnificatur Christus. v. 20.

#### XXVI.

Nexus v. 20. & 21. hic: si ipsum vivere merum, *verè spectat*



*spectatum* (conf. Gal. II, 20.) est Christus, sanè & mori lucrum mihi erit, quo nempe futurum, ut cum Christo sim; id quod valde multò melius v. 23. Et verò si utrumque ita est, certe in quovis casu omni fiducia utique; unde magnificatur Christus. v. 20.

XXVII.

Totus hujus loci contextus sic habet: Si ego vester Apostolus in ipsis vinculis tantâ fiduciâ utor, ut *sciam* (v. 16.) profectum Evangelii, etiam quod ad improborum ministerium attinet, salutem meam cessurum seu per vitam seu per mortem; simulque tanto in discrimine *sciam* (v. 25.) quod superstes mansurus in vitâ sim, vosque iterum visurus: vestri omnino officii erit, me imitari & in agendo & in patiando, v. 27. &c.

XXVIII.

Verf. 22, 23, 24. referendi ad Antecedentis illius membrum prius hoc sensu: Confidens *scio*, seu vita seu mors mihi obtigerit, Christum eo ipso glorificatum iri: quamquam reputans, veram meam vitam esse Christum, & in eâ lucrum maximum morte mihi accedere; si considero unâ, vitam istam agendo *in carne*, sub naturæ mortalis conditione, *operis fructum*, in tradendo Evangelio me consequi; tum *ignoro*, quid eligam, ita ut in sententiâ illâ generaliori existat hæsitatio, utrum ex duobus hisce bonis præferendum: etsi enim *mori* prætulero, si me spectem, necessarium tamen apparet propter vos, ut maneam. Atq; ita, inquit, & in alteram fiduciæ partem adducor, ut *sciam* me permansurum esse. v. 25.

XXIX.

In verf. 21. & 22. opponuntur: *Mibi vivere Christus, mori lucrum; & Vivere in carne, hoc mihi fructus operis.* Primò enim, cum Paulo suum vivere est Christus, non intelligit naturalem vitam, sed *vitam fidei*, Gal. II, 20. spiritualem, cui



cui per mortem accedit lucrum: vivere autem in carne, denotat naturalem, diciturque v. 24. permanere in hac carne: quanquam isthæc vita per alteram sanctificata accipitur. Deinde τὸ v. 22. non redundat, sed emphaticè accuit *appositionem*, atque infert hoc modo: Etsi vivere mihi est Christus, & mori lucrum; tamen, si vitæ naturalis conditio requiritur v. 24. ut operis boni fructum adhuc consequar in Christo, & lucrum istud tantisper differendum; fit inde, ut quoque ambigam.

XXX.

Hæsitatio in agendis apud regenitos oritur interdum, si duo propolita sunt bona, quorum eligendum alterutrum, atque ex utrâque parte animus constringitur. Ubi quoad licuerit, suspetandum magis necessarium Christi & Ecclesiæ seu proximi causâ. v. 23, 24. Aliud est *constringere*, quâdo Spiritu Dei, ipsiusque operatione voluntas ad unum *objectum* determinatur: ut Act. XVIII, 5. 2. Cor. V, 14.

XXXI.

τὸ ἀναλῦσαι, ex vitâ reverti, remigrare; ut idem usurpatur Luc. XII, 36. cum *termino à quo*, à nuptiis; annectitur hîc *terminus ad quem*, esse cum Christo. Conf. 2. Cor. V. 1. 8. ubi dicitur ἐκδηῶσα, emigrare.

XXXII.

Status animarum fidelium *post mortem* longè melior est eo, qui in hac vitâ datur; quoniam Paulus eò cupiditate fertur, & habitatum eunt ad Dominum, & cum Christo sunt. v. 23. 2. Cor. V, 8.

XXXIII.

*Profectus Evangelii* significat propagationem doctrinæ salutaris atque efficacis v. 12. *Profectus fidei* apud singulos affert gaudium spirituale v. 23. & gloriationem uberimam de beneficiis Dei in homines collatis; & ita  
B  
qui-



quidem, ut de iis gloriemur in Christo Jesu, tanquam salutis omnis fundamento, absque quo agnito gloriatio quælibet vitiosa est. v. 26.

XXXIV

Particula *μόνον* conclusionem infert cum affectu *meis* gravisimè: Si absque digno Evangelii usu ad gaudium & gloriationem istam perungere non potestis, necesse est vos geratis, ut dignum Evangelio est.

XXXV.

*πολιτεύεθε*, vitam instituite, gravius dictu est, quam *παραίεσθαι*, quod veluti ejus *synonymum* adhibetur c. III, 17. Majori autem cum emphasi ib. v. 20. Christianis ostenditur *πολίτευμα* ipsorum, h. e. civitatis veræ institutum, in celis, ad quod mores accommodare oporteat.

XXXVI.

Verf. 27. &c. infertur *scopus* seu *conclusio* specialibus cum *circumstantiis*, & applicatione hætenus dictorum: sicut enim v. 14, 19, 25. communionis Ecclesiasticæ fructum commendavit, ita eandem a Philippensibus requirit, ad quam cap. II. porrò istos cohortatur. Sicut ipse fiduciam plenam præ se fert adversus impios doctores v. 19, 20. similiter admonet, ne Philippenses ab Adversariis ullâ in re v. 20, 28. terreantur: & sicut suam fiduciam, veluti documentum confirmandæ *salutis* v. 19. suæ proponit; sic & iis spondet futurum, ut ipsorum constantia indicium *salutis* sit, atque ex adverso exitii illorum, qui se opponant, Deo id dirigente. v. 28. Ex qua *collatione* iterum apparet, tantum abesse, ut gaudeat Apostolus de quibuscunq; malis, ut potius interitum iis minitetur.

XXXVII.

Probè notandi sunt affectus *desiderii*, *emulatis*, *confidentie*, quibus corroborat Paulus hortationem suam. Quò pertinent quoque v. 29, 30. quibus persuadet fieri posse,



posse, ut officii defungantur sanctissime. Etsi enim factetur, durum certamen esse propositum v. 27. 30. tamen & suo ipsius exemplo gemino *spem* victoriae excitat, & v. 29. docet, nihil deesse eorum, quibus finem obtinere possint.

### XXXVIII.

*Τὰ ὑπὲρ Χριστοῦ*, quæ super Christi nomine obeunda sunt, reperiuntur potissimum duo; (1.) in eum verè *cedere*. (2.) Super ipsius nomine *patri*. Utrumque non humanarum est virium, sed donum Dei ex mera gratia oriundum. v. 29. Passiones sunt fidei necessarium *consequens*, & propter communionem Christi Rom. VIII, 17. 29. & propter adhærens peccatum crucifigendum Gal. V, 24. I. Pet. I, 6, 7. Jac. I, 2, 3.

## IN CAPUT II.

### I.

**V** I. Elegantissima & affectus plena est *recapitulatio* argumentorum primi Capitis, *anaphora* distinctorum. Facile hoc agnoscitur, si observemus, quod summa partis prioris sit quædam *παράλληλος*, *exhortatio* (ita rectius vertitur, quam *consolatio*, quæ est *παράμυθιον*, ut apparet I. Cor. XIV, 3.) eaque non humanis rationibus constans, sed *in Christo* fundatis. Has in memoriam revocat Paulus, fitas in veræ *charitatis solatio* juxta suum exemplum c. I. 7. 9. 29. fluente ex communis Spiritus v. 5. 7. ita ut inde existant sanctissimi intimæ dilectionis affectus (*viscera* & *miserationes* conf. Col. III, 12.) ib. v. 8. 19. 24, 25, 26.

### II.

Dictio illa: *Si qua exhortatio, si quod solatium charitatis, si qua communio Spiritus, si qua viscera ac miserationes*: ostendit necessitatem harum affectionum spiritualium, sine quibus renovationis opus nullum sit. Cum vero & *gradus* earum dentur, significatur simul, si vel tenuiore



nitio penes animum resideant vere ac dominantur, constantem victoriam haud desperandam esse, modo iis utatur homo fideliter, secundum ipsas semet explorans. Conf. c. I, 6.

III.

V. 2. Cum argumentis illis ex unitate Spiritus derivatis repetitur conclusio specialior, præcipiens firmandam in constanti charitate unanimi. Inferitur ea affectu mirifico, quando & laudatur, quicquid hujusmodi adfuerit, & commodatur assidua perseverantia, adhibita *immoratio*: & dictionibus iteratis: ἵνα ἀντὶ τοῦ ἀποστόλου, τὸ ἐν.

IV.

Veram charitatem quam maxime impedit contentio de rebus minimis maximis, aut inanis gloriae studium. Impedimentum illud tollitur duobus modis. (1.) Si quis ita studeat *humilitati*, ut corruptionis suæ conscientia superiorem alium ducat. v. 3. Rom. XII, 10. (2.) Si non tam sua commoda sectetur, quam *aliorum*, ex imitatione Christi, cujus exemplum sequitur. v. 4. & c. conf. 1. Cor. X, 24. quo in loco non legitur ἀλλὰ καὶ ἑα, sed ἀλλὰ τὸ καὶ ἐπέσθαι, absque κα. Nec *Vetus Interpres* id agnoscit, hic ad Philipenses: uti & in *Lutheri Germanica* omissum idem est *Versione*, & in *Erasmi* paraphrasi; & apud *Basilium* in *Ethicis*, norante *Beza*. Quanquam sensus integer utroque modo esse potest.

V.

V. 5. Τὸ καὶ γὰρ φρονέτω ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, sic reddimus: Id enim (καὶ ἰ. non est nota *illationis conclusio*, sed *causalis*) mente seu affectu vestro sentiat in vobis, quod ipsius Christi Jesu affectui sit consentaneum. Recte *Baldwinus*: Idem in vobis sit affectus, qui fuit in Christo Jesu. Agitur omnino de intellectu juxta & voluntate. Tota *contextus* argumentatio hæc est: Si eadem mente affecti esse



esse debetis, quæ & fuit in Christo Jesu, præstanda & humilitas & charitas dicto modo. *Consequentia* probatur sequentibus, quod ille ita se erga nos gesserit, ad extremum usque gradum. *Antecedens* supponitur, veluti pars doctrinæ Evangelicæ notissima, ut etiam præcipiatur, iplis verbis more Apostolico. Quod autem *mens Christi* fidelibus detur, pulchre docet Johannes prioris Epist. c. V, 20. & ipse Paulus Rom. VII, 9. ubi & vers. 6, 7, 8. probe considerandi cum serâ sui animadversione. it. i Cor II, 16.

#### VI.

Mens Domini atque exemplum nobis proponitur ut *norma*, quam non minus ac *legem* divinam sequi oporteat. Et vero quemadmodum legis spirituale sensum declaravit ipse doctrina, ita eundem vita expressit, ut in utrumque *τύπος* & doctrinæ & vitæ se tradant, ex corde obsequentes, quicumque in Christum crediderint. Rom. VI, 17. conf. i. Joh. II, 6.

#### VII.

V. 6, 7, 8. ita intelligendi, ut exhibeant in Christo *exemplum* eorum, quæ v. 3. & 4. præcepta sunt. Quemadmodum ergo v. 3. contentioni & ambitioni opponitur humilitas ejusmodi, qua, qui æquales fuerint, ita se gerunt tamen, ut unus alterum superiorem semetipso existimet; sic exemplar hujus officii ostenditur in Christo, utpote qui *ἴσθ' ἐναι ἰσα θεῷ*, quod Deo par esset, non *rapinam duxit* (idem verbum *ἡγήσατο* v. 6. usurpatur, quod supra v. 3.) sed factus obediens. Similiter, ut unusquisque v. 4. juberetur spectare comoda, *non sua, sed alterius*; Sic Christus v. 7, 8. suæ se omnis gloriæ inanem repræsentavit, totumque composuit nostram ad salutem procurandam.

#### VIII.

Quæritur, quid per ea verba: *ὅς ἐν μορφῇ θεῶ ὑπαάρχω*, capiendum sit? Notamus (1) *subjectum* relativo *ὅς* defini-



gnatum, ipsum nempe Christum Jesum, in quo mens fuit humilitatis & charitatis v. 5. propositum fidelibus exemplar, qui seipsum inanivit ac humiliavit. v. 7. 8. Θεάνθρωπον. (2.) quomodo μορφῆ Θεῶν de eo dicatur? quod nempe ὑπάρχων subsistens in illa extiterit. (3.) μορφῆ Θεῶν oppo- ni μορφὴν δόξης; vocemque *servi* referendam ad denomi- nationem *Domini* v. 11. Quocirca reputandum, quod ἡ μορφῆ δόξης non opposita sit ab initio μορφῆ κυρίας, uti confi- deratio *servitutis* deinde resolvitur in consecutum *domi- nium*; sed hic ordo observetur, ut primum Christus po- natur ἐν μορφῆ Θεῶν, tum qui assumerit μορφὴν δόξης, post qui agnitus sit κύριος. Ex quo intelligitur, tametsi *relativa* sunt *Dominus* & *servus*, non dici, tamen potuisse, quod Christus assumpta carne fuerit ἐν μορφῆ κυρίας, sed de- mum exaltato adjudicata sit. At enim μορφῆ Θεῶν quid- dam ista amplius est. Quapropter cum dignitatem Do- mini Christus in *exinanitionis statu* non habuerit ea ratio- ne, qua deinde istam accepit, nimirum ut propter con- summatum officium *Mediatorium* talis coleretur; nec ve- ro μορφὴν Θεῶν *visibiliter*, sed μορφὴν δόξης hoc modo habue- rit; in ipsa tamen μορφῆ Θεῶν fuerit ὑπάρχων, subsistens: certum omnino est, per μορφὴν Θεῶν ipsam naturam divi- nam insigniri, accedente omnium *Veterum testimonio*, ut inquit *Chemnitius*. Quo nomine urgetur a *Luthero*, in Postill. Eccles. *Domin. Patru.* in hunc textum, vox ὑπάρχων: ibidemque *opposita* ista attenditur voci λαβὼν v. 7. neque enim assumit μορφὴν Θεῶν, sed existerat in ea, tanquam *inhabitante*, quâ replebatur Col. I, 19. Joh. I, 14, 16. Quando autem sibi adscivit μορφὴν δόξης, non sane externam for- mam seu indolem quandam servi accepit tantum, sed ipsam eorum naturam atque *essentiam*, qui servi sunt: ut Hebr. II, 16. *semen Abrahæ*: unde μορφῆ Θεῶν, cui opponi- tur, significabit itidem naturam Dei.

IX. Alia



## IX.

Alia est quæstio; quo sensu in illa μορφῆ θεῶ dicatur ὑπάρχων? Notamus hic (1.) ὑπάρχειν ἐν μορφῆ θεῶ, idem esse, quod εἶναι ἴσα θεῶ. (2.) ἀρπαγμόν. (3.) quod dicitur, ἐκένωσε, λαβών. Subsistere in forma Dei, quæ naturam denotet, humanæ imbecillitati licet obscurius dictum videatur; quando tamen id ipsum est, quod τὸ εἶναι ἴσας θεῶ, apparet, tum Deitatem essentialem prædicari, veluti Joh. V, 18. Judæi judicant, illum æqualem semet facere Deo, atque adeo seipsum Deum, qui Deum proprium appellet patrem; tum verò simul respectum haberi ad incarnationis statum; nam æqualitas vocabulum est relatum, complectens & similitudinem & diversitatem, ut, quem admodum Judæi c. Joh. V, 18. in Christo, quem putabant merum hominem, notavere aliquid diversi à Deo, videlicet humanitatem, atque una similitudinem Dei essentialem, quam ipse sibi tribueret; ita hic etiam spectetur illa æqualitas, quòd Christus homo quidem fuerit, ipsi autem DEO æqualis propter divinam essentiam, extra quam esse DEO æqualis nemo potest. Si dixerimus: aut quomodo hoc sensu in essentiâ DEI sit ἐν μορφῆ θεῶ, nisi cum Eutyche absorptam humanitatem statuerimus? B. Lutherus animadvertit optimè c. l. & juxta eum Chemnitius de duabus Naturis c. xxiv. quod appelletur μορφῆ, quando natura seu essentia aliqua ita consideratur, sicut idiomatis, attributis & conditionibus, vel divinis vel humanis prædita, & quasi vestita ac ornata est, sicut Augustinus inquit ad Petrum: Formam DEI oportere intelligere naturalem plenitudinem DEI. Dicit autem Paulus (alter ille Martinus pergit) Christum non tantum fuisse ipsam formam DEI, secundum divinitatem, sed fuisse etiam in forma DEI, hoc est, in summa divinitatis gloria, majestate ac potentia, utpote verum DEUM, æqualem Patri, sicut plerique Veterum interpretantur; vel



vel sicut Ambrosius, Erasmus & Lutherus interpretantur (que  
 interpretationes eodem redeunt) totam plenitudinem Deitatis  
 inhabitasse in assumpta natura personaliter, sicut per unionem  
 ferrum ignitum dicitur esse in igne: ac illam formam Dei, abs-  
 que rapina (cum secundum eam DEO equalis esset, nec opus  
 fuisset, ut eam tanquam alienam raperet, quam natura ut  
 DEUS habebat) potuisse divina sua majestate, gloria & poten-  
 tia, in assumpta natura, & per eam, ita magnifice se gerere, &  
 ita se exercere, ut omnes manifeste viderent & sentirent, verum  
 ipsum esse DEUM; utq. omnes infirmitates, injurias, contume-  
 lias & passiones, à carne sua potenter propulsaret. Sed quia  
 missus erat, ut infirmitatibus, passionibus ac morte fieret victi-  
 ma pro genere humano; ideo non voluit contra vocationem, ma-  
 jestatem suam in carne, ac per carnem, ostentare, & ejus usur-  
 pationem contra DEI voluntatem & missionem, quasi per rapi-  
 nam & vim arripere, sed sponte jure suo cessit, ac exinanivit  
 se, hoc est, usurpationem & ostensionem divinæ suæ gloriæ, &  
 potentie, in carne, & per carnem occultavit, retraxit & quie-  
 scere fecit, ac in similitudine hominum factus, & humani, h. e. pro-  
 prietatibus, conditionibus, sensibus, affectibus, gestibus, ac tota  
 conversatione, ut quivis alius vulgaris & nudus homo absque  
 peccato se gessit; imò servi formam accipiens, omnes infirmita-  
 tes humanas suscepit, & omnes pœnas peccatorum totius mundi  
 in se derivavit: ut ita servus noster fieret, hoc est, ut mini-  
 straret nobis Matth. X. factus obediens Patri usque ad mortem  
 crucis. Etiam si ergo humanitas Christi non exuerit  
 proprietates suas essentielles, nec in ipsam DEI essentiam  
 transmutata sit, tamen unione hypostatica sic conjuncta,  
 est cum naturâ divinâ, ut hujus idiomata, quatenus  
 communicata considerantur, sint illa  $\text{ἰσα ὁμοῦ}$ , seu ut  
 Dan. Heinsius in Exercitationibus Sacris interpretatur,  
 $\text{ἰσότης ὁμοῦ}$ , æqualitas DEI. Et quanquam non humana  
 Christi natura in abstracto hic dicitur  $\text{ὁμοῦ ὁμοῦ ἐν μορφῇ  
 θεῶν}$ ,



θεός, sed in *concreto persona* Christus; quando tamen declaratur æqualis Deo, ostendenda est *diversitas* quædam. Si statuam, intelligi modo *personalem*, obfistit vox θεός: neque enim filius ab æterno æqualis appellatur Deo, sed Patri, nec Spiritus S. æqualis Deo, sed Patri & Filio; cum uterque sit ipse Deus, neutrique competat quidquam *Deitatis* opponendum. Neque alia est ratio, qua Christus dicitur *ἐκ τῆς ὁμοιοῦσά* Coloss. 1, 15. ubi expressè additur *τῆς ἀόρατος*, ut *invisibili* oppositus intelligatur *visibilis* certo modo. Conf. *Hunnius* in h. l. & Joh. 1, 18. xiv, 9. Utrumque igitur manet verum, quòd & *μορφῆ θεῶν* naturam norat divinam, in qua subsisterit Christus, & quòd ea dictione simul exprimitur, quomodo in ea exiterit juxta humanam quoque naturam, ut nimirum æqualis fuerit Deo; secundum hanc quidem habens, quæ Deitatis non sint propria, habens vero etiam ex unione personali divinorum attributorum communionem humanitati competentem, quibus in hac ipsa æqualis sit Deo. Quæ de interpretatione reperiuntur præclara admodum apud *Lutherum* l. c. Et pulcherrimè hanc in rem *Erasmi* paraphrasis: *Christus cum naturâ Deus esset, atq; ipsis factis se Deum esse declararet, dum mortuos nutu reddidit vitæ, dum vertit elementa rerum, dum demonibus imperat, dum verbo pellit morbos, tamen quo nobis perfectæ modestiæ pararet exemplum, non sibi per inanem gloriam vindicavit, ut haberetur æqualis Deo.* Nec verò prætermittendum fuerit, quòd huic, *ἐν μορφῆ θεῶν ὑπαρχῶν*, alterâ ex parte respondeat v. 7. *ἐν ὁμοιότητι ἀνθρώπων γενόμενος*; & isti, *ἐν αἰ, ἴσα θεῶν* v. 8. *ἡµασι ὡς ἀνθρώπος.* ex quo videre licet, quòd & forma & æqualitas ita intelligenda sit, ut non tantum natura spectetur, verum etiam hujus *conditiones*, quatenus per Christi humanitatem sese exserere potuerint.

X.

Confirmatur idem, si attendatur usus vocabuli *ἀπρὸ γένου*.

C





γμόν. Rapina enim de hujusmodi *subjecto* accipienda est, quod saltem *objectum* admittat, in quod potuisset cadere, ut rapina duceretur. Quod quidem, si filium Dei secundum ipsius solam divinitatem spectes, dictum est difficillimum. Ita enim non æqualis Deo erat, sed ipse Deus, nedom rapinam ducturus vel concipi potuisset, quæ ipsi fuere *essentialia*. Enimverò si ex parte humanitatis Christum intueamur, exemplum in promptu est Matth. IV, 3, 6. *temptationis* diabolicæ, quâ moliebatur Satanus persuadere illi, ut omnipotentiam, filii Dei propriam, *extra vocationem*, tanquam rapinam uteretur, seu, ut ipse interpretatur v. 7. *tentaret Deum Dominum suum*. Videtur namque haud obscure Paulus alludere ad primi hominis lapsum, qui extiterat inde, quòd ex persuasione serpentina intenderet æqualis Deo fieri, & circa hoc ipsum, tanquam rapinam sibi propositam versari. Quo quidem pacto cum in eo & humilitatem & charitatem deseruerimus, *opponit* ipsi Apostolus, nobisque proponit imitandum, *Adamum alterum*, θεάνθρωπον, qui ista nos redemit via, ut nec ullo modo appetierit formam Dei, sicut prior ille, sed fuerit prorsus in ea, nec tamen duxerit rapinam, esse sicut Deum, verum etiam se exinanierit tantopere. Ita ergo spectatus Christus, ut Adamo altera ex parte respondeat (non sibi vindicans, quod habebat, quodque Adamus non habuit, sed arripere conatus impiè est) quoad humanam simul *supponatur* naturam necesse est.

## XI.

*Emphatice*, si quidquam, dictum videtur, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. τὸ εἶναι, idem apparet, quod dictum erat ἰσάρεχων & ἴσα θεῷ, quod ἐν μορφῇ θεῷ. Cur vero non legamus, ut Joh. V, 18. ἴσων, meretur ponderari. Nonnulli existimant, *ellipsis* hic locum habere, ut subintelligatur αὐτῷ, τὸ εἶναι (αὐτῷ) atque ita sensus sit, esse ipsi ea, quæ sunt æqualia Deo: aliqui simpli-



pliciter sumunt ἴδ' εἶναι pro' adesse, ineffe. Communior  
 sententia est, phrasin hanc, ἴδ' εἶναι ἰσα θεῷ, vertendam, esse  
 æqualem Deo: ubi illud dubium manet, quid neutrum plu-  
 rale velit. Cæterum ut alii satis recte observant, neutra  
 pluralia sæpe apud Græcos autores probatus adverbialiter  
 poni, adverbiorumque significationem, si cum verbo sub-  
 stantivo jungantur, fieri nominalem: ita Salom. Glasius Phil. S.  
 L. III. tr. I. can. 26. docet, emphatice adhiberi enallagen  
 numeri, sic commentans: plurale neutrum pro singulari ad-  
 hiberi videtur: ἴδ' εἶναι ἰσα θεῷ ἢ ε. ἰσῶν, æqualem Deo esse. Job.  
 V. 18. Sunt tamen, qui inter has phrasas distinguunt & ἴδ' εἶναι ἰσῶν  
 θεῷ, esse æqualem Deo, ad naturam Christi divinam referunt: al-  
 terum autem, ἴδ' εἶναι ἰσα θεῷ, vertunt, æqualia (ipsi Christo) esse  
 Deo, ac non ad naturam & essentiam referuntur, sed ad gloriam,  
 maiestatem, & jus imperii, quod ex unione personali secundum hu-  
 manam naturam Christus habebat, verum tempore exinanitionis  
 eo se abdicabat, usq; ad exaltationis gloriosa statum. &c. Vide  
 Dn. D. Paulum Tarnov. in lib. contra Socin. p. 533. & meditationes  
 nostras Episcopicas, Dominica Palmarum. Ex quibus obser-  
 vationibus conjunctis sententiam hanc derivamus, quod  
 neutrum plurale, ἰσα, dicatur adverbialiter, atque inde et-  
 iam per consequens nominaliter insigni cum emphasi, desi-  
 gnante æqualia omnia, quæ quidem ad gloriam divinam  
 pertineant, communicata quippe ex personali unione hu-  
 manitati Jesu Christi. Quocirca iterum monemus, res-  
 pexisse Apostolum primi hominis lapsum, atque illud di-  
 aboli: eritis sicut Deus. Gen. III, 5. conf. Phil. II, 7. & 8.

XII.

Optime Augustinus tradit de doct. Christ. I. I. cap. XIV.  
 Deum factum hominem hominibus tum per contraria, tum per si-  
 milia mederi. Postquam enim ἰσοῦσα & ἰσοῦσιν θεῷ teme-  
 re affectarunt, ille venit in ipsa forma & æqualitate Dei  
 v. 6. formamque & æqualitatem servi ac hominis v. 7. 8.



suscepit, atque, ut Hipponensis Episcopus ait, *quia per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum.* Similia vero sunt, quod factus servus servos, *homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit.* ib.

XIII.

Supereft *tertium*, quod notavimus etiam monstrare, quomodo forma & æqualitas Dei intelligenda. Quando videlicet v. 7. *opponitur*: at semetipsum inanivit, ἐκένωσε id non potest non accipi de natura, quæ agnoscat sibi *non essentialia*, quorum se inanem gerere Christus voluerit. Erant autem illa essentiæ divinæ, cum qua etſi conjuncta erat humana, & ita quidem arctissime, ut in hac Christus iis plene uti potuisset semper, se tam ultro eorum usu abdicavit. Neque id fecit λαμβάνων μορφήν δδλς, quasi inaniſſet se, dum in eo esset, ut acciperet formam servi; sed λαβών, cum accepisset eam: ut *communionem* quidem proprietatem divinarum contulerit naturæ humanæ, verum à collaturum *usurpatione* se abstraxerit; ac licet aliquando in miraculis patrandis ipsam exeruerit, voluntatis Patris implendæ causâ, de reliquo nihilominus *radius* earundem cessare fecerit in universo vivendi genere. Conf. Luc. I, 80, Matth. IV, 2. VIII, 20. Marc. XI, 13. XIII, 32. Hebr. II, 8. 9. &c. De natura divina haud suppetit, quomodo possit intelligi, ἐκένωσε, quandoquidem hæc vox *realem inaniitionem* indicat. Quodsi ἐταπένωσε priori loco esset positum, facilius fuisset accommodandi ratio ad divinam naturam, quamvis vers. seqq. aperte agat de humana; sed ἐκένωσε multo minus admittit translationem ejusmodi. λαβών vero dicto modo sumendum esse, confirmat *defectus particula κ*, in sequentibus: neque enim dicitur: ἐαυτὸν ἐκένωσε, μορφήν δδλς λαβών, κ ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος sed, quemadmodum vers. seq. 8. ordo apertus est, *participio primo præcedente* sub eodem sensu, ita & v. 7. *interpretatio*



tio pariter habet. Si quæras, cur autem hic præcedat *verbum* rationem monstrat *oppositio* facienda *antecedentibus*, præsertim cum ea ipsa sint, à quibus sese inaniisse Christus affirmatur. Neque *εαυτον* verbo præpositum (v. 8. postponitur) hic v. 7. absque emphasi est; sub hanc enim collocatione fortissimè exinanitio Christi opponitur infationi Adamiticæ, & *cogitationi* de rapina *peruersissima* primorum parentum, quam in lapsu habuerunt, à Flacio in h. l. graphice descriptam. Uti enim illi voluntario divinum honorem sibi rapere sategerunt, & in nuditatem ac paupertatem horrendam sunt prolapsi; sic ex aduerso Christus sponte sua se ipsum gloria, quam possidebat, inanem præstitit, eamque recuperavit plenissime.

#### XIV.

Diligenter meditanda sunt loca ista, quibus *contrario- rum & similium* ratio in officio mediatorio traditur & quidem juxta *effectus* atque *fructus*. Præsertim hunc pertinet 2. Cor. VIII, 9. de gratia Domini nostri Jesu Christi, qui propter nos *pauper factus* sit, *cum esset dives*, ut nos illius *paupertate ditesceremus*. it. Heb. XII, 2. Deinde, quomodo *ex ipsius plenitudine omnes* debeamus capere Joh. I, 16. Eph. I, 3. III, 19. IV, 15. 16. 1. Pet. II, 24.

#### XV.

V. 7. & 8. observanti *exinanitionis gradus* (1.) *servilis forme assumptio* est *generator* ejus complexus, quoad non naturam modo humanam, verum etiam proprietates *serviles* significat; quibus utendo potius, quam ad divinis communicatis, exercuit Christus sui ipsius inanitionem, primusq; hujus *gradus* in eo consistit, quod secundum *assumptam naturam* ipse factus sit *in similitudine hominum* [alluditur ad Gen. I, 27, V, 3.] cum juxta similitudinem Dei semet ob ipso ætatis initio gerere potuisset, conf. Heb. II, 14. (2.) *Habitum* quoque externo compertus, non ut Deus, sed ut qui-



vis homo, cum gloriosissimus in promptu esset. (Matth. XXVI, 53. (3.) cumq; regio saltem instituto dominari licuisset, humiliavit tamen amplius seipsum, factus obediens. (Heb. V, 8.) (4.) ad mortem usq; (Joh. X, II, 17, 18.) (5.) & hanc quidem omnium ignominiosissimam in cruce (Gal. III, 13. Heb. XII, 2.) quem gradum adjectissimum, infra quem alius nullus datur, anadiplosis magna emphasi exponit.

XVI.

Δὸ νόη, ostendit nexum, quo quæ de Exaltatione sequuntur, ad eandem argumentationem referenda sint hoc modo: Si Christus JESUS tam humili mente affectus fuit, propterea vero & idem à DEO tantopere evehctus, certe humilitatem ejus imitari decet.

XVII.

Articulus emphaticus DEO præfixus connotat amorem illum, quo ipse filium propter exinanitionem prosequitur. Joh. X, 17. Atq; ad eum significandum fit, ut extremæ humiliationi v. 8. respondeat continuo supremus exaltationis gradus v. 9. *Cbennitius* loco antea laudato, Hoc, inquit, tota antiquitas intellexit de Christo, non respectu divinæ nature, quæ, ut altissima exaltari in se non potest, nec exaltationem suam ex merito obedientiæ habet; sed respectu humanæ nature, secundum quam humiliatus & mortuus est. Quicquid ergo Deus Christo hic adjudicat, ex paterno isto amore donavit ei, ἐχαρίσωτο. Est enim non eo fine in mundum venerat Dei filius, ut sibi quidquam mereretur, tamen eum plenus gratiæ ac veritatis ultro extremo se obsequio submitteret pro peccatoribus, exinanitionis hujus consequens fuisse ex judicio Patris, ut in gloriam ingrederetur suam coronatus, dictione Δὸ & indicatur. Conf. Joh. I, 14. 16. Luc. XXIV, 26. 46. Hebr. II, 9. Apoc. V, 12. Item Sal. Glasii Phil. S. I. III. tr. VII. sub finem.

XVIII.



XVIII.

Ipsius Christi, tanquam dilectissimi filii, obsequium & meritum pro nobis præstitum, quo consummato & ipse tanta præmia reportavit, *fundamentum* est unicum sub promissionibus divinis, propter quod renovatorum quoque operibus *præmia* assignatur, horumque *gradus*. I. Cor. VIII, 8. cum *conditione* autem *ordinis Domini* seu *vis*, ab humiliatione ad exaltationem Rom. VIII, 17. 29. 2. Tim. II, 11. 12. I. Pet. I, 11. V, 6.

XIX.

*ἡ ἀσκήσιος*, in summam extulit sublimitatem, solo hoc loco reperitur. Neque enim verbo *simplici* tam immensa, quæ hic describitur, ab imo ad summam altitudinem traductio, explicari poterat. De eodem *subje*lo quidem usurpatur *ἡ ψόω* Joh. VIII, 28. XII, 32. Act. II, 33. &c. sed ibi vel de elatione in crucem, vel ad dextram Dei *absolute* sermo est, nec tanta cum *oppositio*ne *graduum*, ut hic loci.

XX.

*Donationem nominis* (conf. Luc. I, 32. 35.) sic capiendam esse existimamus, ut cum Deus Christum ad plenissimum majestatis divinæ usum perduxerit, addita intelligatur ratio, qua suprema gloria, ipsi tanquam Domino collata, ab omnibus creaturis agnoscenda sit. Ratio illa explicatur de *cultu* ei exhibendo, v. 10, 11. conf. Act. II. III. Ephes. I. IV.

XXI.

*καταχθονίων*, subterraneorum similis fit mentio Apoc. V, 13. ut dicatur, quicquid sub terra. Universalis ergo denotatur *adoratio*, quæ quibuscunque quoquo modo sub ipsis etiam terris potuerit competere, admiranda potius, quam scrutanda nimium ante patefactionem rerum omnium in die Domini expectandam.

XXII.

Id vero omni opera meditandum, quomodo *confirmandus*



*du* sit Dominus Iesus Christus, in gloriam Dei Patris. Appri-  
 me huc faciunt dicta Luc. II, 11. Act. II, 36. Rom. XIV, 11. I.  
 Cor. VI, 19. 20. VIII, 6. 2. Cor. V, 10. 15. Tit. II, 14. Ex quibus  
 patet (1) Iesum natum esse Christum Dominum. (2) à Deo  
 factum esse Dominum & Christum natum quippe talem unione  
 personali, factum seu declaratum potenter Rom. I, 4. (à Domino  
 Deo Luc. I, 32.) postquam servili exinanitionis statu defun-  
 ctus, eodemq; nobis libertatem promeritus erat tanquam  
 Dominus. (conf. supra c. I. anim. IV.) (3) quos ipse redemit,  
 esse ei in solidum obstrictus ad abnegandas mundanas cupidi-  
 tates, & sanctificationem spiritus & carnis perficiendam,  
 tanquam populum peculiarem, nec sui esse juris quoad vi-  
 tam aut mortem. (4) Eundem autem aliquando solenni-  
 ter ut Dominum venturum, & coram ipsius tribunali ne-  
 minem non manifestum reddendum esse, & quidem eis dō-  
 ξαι θεῶν πατρὸς, ut constet omnibus, quanto amore genus  
 humanum Pater dilexerit.

### XXIII.

V. 12. est repetitio scopi generalioris *pathetica*. Præ-  
 cipitur obedientia ad imitandam Christi obedientiam v.  
 8. In ejusmodi obsequio fideles operari salutem dicuntur,  
 non ut in eo quidquam meriti ad vitam æternam conse-  
 quendam ponatur, sed quoniam in studio bonorum ope-  
 rum exercetur, & ex potentia Dei conservatur ac crescit fides,  
 quam mala omnino excutunt. (conf. I. Pet. I, 5. Jac. I, 25.)

### XXIV.

Maximum argumentationis momentum reperitur  
 in determinatione *subjecti & modi*: vestram ipsorum cum timo-  
 re ac tremore. Est enim sententia vers. 12, 13. Si ipse Chri-  
 stus salutem vestram quæsit obediens usque ad mortem  
 crucis; neque eam vos ex vestris viribus conficitis, sed  
 nec velle nec efficere quidquam potestis absque Deo, ef-  
 ficaciam suam exerente in vobis ita, ut voluntatis suæ, non  
 vestræ,

vestram ipsorum cum timore ac tremore

sub



vestræ, consilium *unice bonum* (ὁπὲρ τῆς εὐδοκίας, conf. c. I, 15.) intueatur: Vos sanè *vestræ ipsorum salutis*, quæ tam pretioso merito est parata, & tam facili negligentia amitti potest, consulere debetis *cum timore ac tremore* h. e. summa cum sollicitudine.

### XXV

Affectus timoris & tremoris a *regentis* haud prorsus alienus, sed ipsis sæpe necessarius est, ut sanctitatis Dei & corruptionis suæ sensu excitentur in fide; qui tamen propter fidei dominium *filialis* potius, quàm *servilis*, existit. Conf. Pf. CXIX. 1. Pet. I, 15, 16, 17. nec prohibet, quominus gratia & spes salutis certa retineatur. 2. Cor. VII, 1.

### XXVI.

Tantus in homine est *defectus originalis*, ut ex humanis viribus *sibi relictis* converti ad Deum nemo queat; nec *velle* quidem post ipsam *conversionem*, nedum *efficere* illa, quæ verè bona sunt, ex iisdem *in se spectatis* valeamus v. 13. Homo ista & vult & efficit, verùm ut & velit & efficiat, Deus in ipso efficit: ita nati ex Deo faciunt iustitiam. 1. Joh. II, 29. acti agunt. Rom. VIII, 14.

### XXVII.

V. 14. *διαλογισμῶν*, vertendum est, disceptationibus: de quo dubium nullum supererit, si conferatur usus eiusdem vocis Luc. IX, 46. Rom. XIV, 1. uti & 1. Tim. II, 8. *χωρὶς ὀργῆς ἔξ διαλογισμῶν*, quod & *Vulgata* reddit, absq; ira & disceptatione. Conf. supra v. 3.

### XXVIII.

Conclusionem *generaliori* iterata cum excitato sollicitudinis affectu, v. 14. repetitur quoque *specialior* illa (v. 3. & 4. proposita) de *impedimentis* charitatis & renovationis evitandis, sub eadem sententia, tametsi diverso proferendi modo. Annectitur vero v. 15. & 16. nova *confirmatio* à *consequentibus* bonis & famæ Christo dignæ & laudis Apostolicae, non sine affectu desiderii.

### D

XXIX.



## XXIX.

ἄμειπτοι καὶ ἀκέραιοι, irreprehensi & sinceri, simplices. Plus dicit de veris fidelibus, quam de se in statu *Pharisaismi* c. III, 6. Paulus. Erat quidem in eo ἀμειπτος coram hominibus, sed non ἀκέραιος (ut columba Matth. X, 16.) Quocirca requiritur in Christianismo *irreprehensibilitas*, quæ fundamento nitatur *simplicitatis* interno, directæ u-nicè in Christum, (de quâ passim multa docet Apostolus: ut 2. Cor. XI, 3.) dictæ *veritatis* Eph. IV, 21.

## XXX.

Ponuntur filii Dei inculpati in medio nationis *pravæ* & *perversæ*, veluti *contraria* juxta se collocata magis illustrescunt. Epitheta enim maximè emphatica sunt, σκολιᾶς (obliquæ, cui opponitur *rectum*. conf. Act. II, 40. 1. Pet. II, 18.) *διεστραμμένης* (distortæ, transversæ, inversæ, cui opponitur *simplex*. conf. Luc. XI, 34.) Ita nimirum est mundus in *πανουργία* suâ, cui opponitur piorum conscientia divinæ simplicitatis & sinceritatis. 2. Cor. I, 12.

## XXXI.

Usitata in scripturis est *comparatio* piorum cum luminibus in mundo splendescentibus, ut Christus Matth. V, 16. *Ita splendeat lux vestra coram hominibus* &c. & Johannes c. I, 5. de ipso Domino idem testatur: *Lux ista in tenebris lucet* (φαίνει) *sed tenebrae eam non comprehenderunt*. De quo & Psalm. CX, 2. *dominare in medio inimicorum tuorum*. Peculiaris verò est *parallelismus* 2. Pet. I, 19. καλῶς ποιᾶτε λόγον προσέχοντες, ὡς λύχνω φαίνοντι ἐν ἀνυχμῆσιν τόπω. ubi φαίνειν dicitur de verbo Dei, de hominibus autem, illi προσέχον, attendere; cum hîc de *subjecto* ipso usurperur φαίνεσθαι, si nempe isto medio dignè utantur, cujus *usu* subjungitur his verbis: λόγον ζωῆς ἐπέχοντος, *sermonem vitæ* (vivificum conf. Rom. VIII, 2.) firmiter tenentes, folicite applicantes.

## XXXII.



## XXXII.

*Perseverantia fidelium* est optimum ipsorum decus, & Ministrorum gloriatio. v. 16. Obtinetur illa cum durante pietatis lumine, si verbum Evangelii, tanquam lucis origo & fons, vera praxi constanter excolatur (conf. 2. Joh. 8. Jac. I, 25.) nec contra vel præter ipsum admittatur quidquam. I. Cor. III, 14, 15.

## XXXIII.

Quod Apostolus & *gloriationis* suæ de Philippen- sibus, & propensi animi ad *paciendum* pro fide ipsis prædi- cata, sanctissimam mentionem facit, una cum gaudio & gratulatione mutuo requisita v. 17, 18, in eo sunt & *mo- res* & *affectus* vere spirituales, quibus antegressa cohorta- tio gravissime obsignatur, ab *exemplo Christi* petita; acce- dente *exemplo Apostoli*, charitatis plenissimo.

## XXXIV.

*Hosiam* & *sacrificium* vocat opus Evangelii, quo fi- dem Philippenfium procurabat. *Allegorie* fundamen- tum est, quod Apostolus circa Evangelium prædican- dum non communi more agendi versaretur, naturæ du- ctu, sed Deo serviret *in ipso spiritu suo*. Evangelium ipsius tractans Rom. I, 9. (conf. Phil. II, 22.) atque ita eo ipso *bo- stiam spiritualem* offerret, acceptam Deo per Jesum Chri- stum I. Petr. II, 5. præsertim cum & Philippenfes fierent, tales. Quo sensu etiam dicit Rom. XV, 16. se *λειτεργῶν* (in textu nostro est *λειτεργία*) Jesu Christi ad gentes, *ιεργυῖ- τα*, sacrificantem Evangelium Dei, ut fiat *ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν*, oblatio gentium accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum. (qua de re & ibi se *gloriarī* affirmat.) Unde ap- pareat, *hosie* appellationem respicere & Pauli opus & Phi- lippenfium fidem, quod ipsi facti essent viva & sanctifica- ta victima; *sacrificiū* vero mentionem exprimere laborem ministerialem.



## XXXV.

Σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, pro libamento offeror super hosti a: sic *Beza* vertit rectissime, cujus & paraphrasis est: *nec du bitem ego, in hoc vestro spirituali sacrificio tanquam libaminis addicamentum intervenire, ipsa morte videlicet. conf. 1. Theff. II, 8.*

## XXXVI.

*Opera piorum omnia, quæ ex fide per charitatem efficace proficiscuntur, coram Deo victima & sacrificium spirituale sunt in Christo Jesu. 1. Petr. II, 5. conf. Apol. A. C. p. 95.*

## XXXVII.

Quæ sequuntur à v. 19. ad finem usque capituli II. maximopere, confirmant omni ex parte, animum Apostoli Philippensibus communionem summa deditum esse; quod nempe, missurus sit *optimum* suorum, *ipse* quoque venturus, atque interea studiose mitrat ipsorum legatum & desideratissimum & commendatissimum. Cujusmodi testificationes piæ non habendæ supervacaneæ, quoniam imbecillitatis humanæ causa plurimum juvant ac corroborant *communione* & *Φιλαδελφίαν*, variasque suspicandi occasiones, quas Satanas suggerere animis studet, è medio tollunt. Itaque pertinent ad *moram* orationem.

## XXXVIII.

Vers. 21. non *absolute* intelligendus, sed *comparate*. Ipsi omnes reliqui, apud me agentes, si cum Timotheo conferantur, sua ipsorum quærunt, non quæ Jesu Christi. Neque enim v. 20. negat, ullum adesse, qui Christum sequatur; sed, qui tam impense res Philippensem curaturus sit, atque in eo ejusdem animi cum Apostolo futurus. Hinc namque conqueritur rarissimum esse, quod 1. Cor. X, 24 & hic v. 4. & 5. exemplo Christi præceperant,  
ut



ut propriis posthabitis commodis quærantur ea, quæ circa *proximum* Jesu Christi sunt; experientia docente, quod fideles ipsi multis imbecillitatibus ex amore sui ad hærescens retardentur: idque malum etsi in aliis, quoad *non dominetur*, mitius tolerandum fuerit, donec fidei usi magis magisque superreretur, in ministris tamen ecclesiæ severius adnervandum.

XXXIX.

Ad rationem loquenti ἐδύλευσεν εἰς τὸ εὐαγγέλιον, notandum idem, quod supra In cap. I, 5. observ. X. Non tantum dicitur, ut Rom. I, 9. λατρεύω ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, sed hic connotatur Evangelii *profectus*, qui ab utroque intendebatur.

XL.

V. 23. Membrum posterius non perperam censet *Beza* cum *Luthero* sic optime reddi: *Simulatq; video rerum mearum statum*: i. e. quid de me porro acciderit. Conf. c. I, 12. τὰ κατ' ἐμὲ & V. 27. τὰ περὶ ὑμῶν. it. c. II, 20. Ad ἐξουτῆς Marc. VI, 25.

XLI.

Λειτουργίας vocabulum v. 17. adhibitum in usu *sacro*, in *civili* reperitur v. 25. & 30. Ad vocem *χερείας* conf. Rom. XII, 13. Ad ἐπιποθῶν v. 26. conf. supra c. I, 8.

XLII.

In Epaphrodito videtur Paulus etiam exemplum ostendere *imitationis* Christi, iisdem quoque utens verbis *μέχρι θανάτου* ut v. 8. & *abnegationem* vitæ, quæ causa attracti mortis periculi additur, ( *παραιθέλωσαμένος*, quod ejus rationem non habuerit ) commendans.

XLIII.

V. 30. τὸ ἔργον τῶν χειρῶν dicitur susceptum opus propter Christum. Certo sensu referri hoc potest ad c. I, 29. Conf. supra obs. xxxiv. & xxxvi.



## IN CAPUT III.

### I.

**A**postolus novam quidem descriptionis partem inchoat, sed in eodem instituto pergens. Cujus rationem consilii gravissimam affert, ne attentio ipsorum languescat, quod negotium hoc Apostoli, quo ea em, ad *Renovationis* excolendæ studium pertinentia, solícite & paulatim altius recognoscat ac commendet, iis futurum sit ἀσφαλές, tutum, eo faciens, ut constantes sint, nec lubrici, verum stabiles, firmoque gaudeant fundamento.

### II.

Dixerat de variis lætandi causis cap. II, 2. 17, 18. 28, 29. Omnes hic ad unam primariam revocat: *gaudete in Domino*. Atq; idem geminato modo inculcat c. IV, 4. Haud negat gaudendum Philippensibus ob restitutum sibi Epaphroditum incolumem, sed negat hujusmodi gaudium, vel aliud quodvis bonum, vere bonum esse, nisi fiat in Domino, atque in hunc tanquam *objectum primarium* feratur. Neque vero vel ita exhauritur *emphasis* hujus dictionis, sed quælibet rationes, quibus mens Christiana exhilarari queat, designantur ut *causæ impulsivæ externæ*, quæ referendæ semper sint ad unicam illam *impulsivam internam*, ipsum nempe Dominum, quatenus in eo considerentur fideles ita, ut ipse in iis inhabitet per fidem intimam spiritus communionem. Rom. VIII, 1. Ephes. III, 17. 1. Joh. V, 20. ut nec aliter hi quidem ad *letitiæ affectum* se perducere possint, quam quoad ex radice fidei succum is *spiritualem* attraxerit: neque ipsis *adversis* impediri sinant gaudium, sed si in vitio illa reperiantur posita, *gloriatione in Domino* sese exsuscitent v. 2. & 3. vel si calamitates fuerint propter Christum ferendæ, eo magis in ipso lætaten-



lætentur c. II, 17. 18. quòd digni habeantur, qui super nomine Jesu afficiantur contumeliâ Act. V, 41. nec ulla in re terreatur ab iis, qui se opponunt, non sine salutis indicio Phil. I, 28, 29. & profectu Evangelii v. 12. &c.

III.

Gaudium *in Domino* est idem, quòd gaudium *in Spiritu S. Rom. XIV, 17.* nam qui gaudet in Domino, is ipse gaudet in Spiritu Sancto, cum *jesum dicere Dominum nemo possit, nisi in Spiritu Sancto.* 1. Cor. XII, 3. Imò verò ipse Dominus est Spiritus ille, ut ibi hic spiritus domini fuerit, ibi libertas detur, atque ex eâ gaudium in Domino & Spiritu Sancto. 2. Cor. III, 17. Ex quo intelligitur, quàm necessaria pars regni Dei sit læticia isthæc spiritualis, cum justitiâ & pace perpetim oriunda in renovatione.

IV.

Corroboraturus Apostolus gaudium spirituale in Philippensibus, removet impedimentum maximum, confidentiam in carne, v. 3. i. e. locutione metonymicâ, *prerogativis*, quæ in statum virium naturalium cadunt. Tantum esse notat hoc obstaculum, ut qui ei sint dediti, contraria sequantur & committant omnia: exempli gratiâ, circumcisionem se jactantes, præsent se potius *conscisionem* (alludit justo zelo ad *circumcisionis* vocem) i. e. qui conscindant fidem & Ecclesiam, urgentes circumcisionis necessitatem ad salutem; de bonis operibus gloriantes, *operarii* sint mali; præsumentes se servire Deo, ventri potius serviant, tanquam *canes*, (conf. Phil. S. Glass. L. IV. tr. I. c. XI.) curantes quippe terrestria, quæ interpretatio liquet ex v. 19. Conf. Ef. LVI, 10, II. 2. Petr. II, 22. Apoc. XXII, 15. Iraque vitandi, cavendi Marc. XII, 38. atq; hoc sensu *vivendi* eò majori cum sollicitudine, quæ exprimitur per *anapharum*.

V. Vers.



V.  
Verf. 3. opponuntur illis *carnalibus* circumcisi verè seu spiritualiter, qui hinc dicuntur, (at illi per metonymiam emphaticam concisio in *abstracto*, tanquam pessimè conscindens. Conf. S. Glaff. Phil. S. L. III. tr. I. can. 7. & L. IV. tr. I. c. 22 sub finem.) ipsa cum articulo *circumcisi*; cordis nimirum, *in spiritu*, non literà, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo Rom. II, 29. conf. Col. II, 11. Atque tribus illis periphrasibus tres opponuntur aliæ: *carnibus*, fervientes spiritu Deo; & quod communem fidei indolem Rom. XIV, 18. & quoad Evangelii administrationem Rom. I, 9. *malis operariis*, gloriantes in Christo Jesu Rom. III, 27. sic tamen, ut lex per fidem stabilietur v. 31. conf. 1. Cor. I, 29, 30, 31. *concisioni*, seu circumcisionem perverse urgentibus, haud confidentes in carne, circumcissione, & similibus.

VI.  
Gaudium spirituale ab adversariis impediri nequit, si quis instructus sit his *conditionibus*; ut spiritu DEO ferviat, gloriaturque solum in Christo Jesu, nec fiduciam collocet ullà in re, nisi in divina gratia. Attendatur nexus verf. 1, 2, 3. cum particula *γὰρ*.

VII.  
Vera conversio est vera circumcissio spiritualis, seu regeneratio. Rom. II, 29. Coloff. II, 11, 12.

VIII.  
Gloriatio in Christo Jesu excludit omnem *gloriationem carnis*, circumcissionis, præputii, dignitatis, *liberi arbitrii* seu virium naturalium, operum, meriti proprii vel dispositionis, aliusve nominis cujuscunque. Rom. III, 27.

IX.  
Gloriatio in Christo Jesu nunquam vera est, nisi ipso spiritu ferviatur Deo v. 3. pœnitentiæ & fidei fructibus. Conf. Rom. I, 9. VII, 4. XIV, 18. Gal. VI, 14. X, In-



## X.

Integra *argumentatio* Paulina hæc est: Si ego Apostolus habeo in carne etiam satis, de quo confidam; & tamen non confido in eo, & quidem adeo, ut ducam omnem hujusmodi lucrum mihi esse damnum, prorsus abnegandum, si Christum lucrifacere, & justificatus eo vera & vivida cognitione frui velim, atque ita gaudium spirituale tenere firmum atque augere, spiritu servire Deo, & gloriari in Christo: certe vestrum, Philippenses, quoque omnino fuerit, vitare illos, qui ad confidentiam in carne vos abducere laborant, & me sequi. Atqui verum est prius, quod demonstratur v. 4, 5, 6, 7, 8. &c. Ergo & posterius v. 2. 15, 16, 17.

## XI.

Verf. 3. continet bellam orationem *moratam*, qua Paulus Philippenses fideles secum Pseudapostolis opponit, tanquam ita comparatos, quales ut vere & constanter sint, persuadere ipsis conatur. Atque ita incidit v. 4. in probandum illud prius de se *minus verisimile*, & hujus quidem *primum* membrum.

## XII.

Non modo *περιτομή* & *σάρξ* v. 3, 4, 5. sed etiam *πεπολιθῆναι*, *πεποιθέναι* v. 4. *metonymice* accipienda. Nec circumcisio tantum in significatione *plurali* denotat homines circumcisos, uti præputium dicuntur gentes Rom. II, 26. III, 30. (conf. supra obs. V.) Verum & *singulariter* quemlibet v. 5. nisi cum aliquibus legendum, *περιτομή*.

## XIII.

*κατὰ νόμον* significat præstantiam in professione religionis: conf. Act. XXVI, 5. *κατὰ ζήλον*, in religione *defendenda*. Rom. X, 2. Nec vero sola professio, aut defensio Christianismi Christianum verum præstat. conf. Joh. XVI, 2, 3.

## XIV.

Ad vocem *ἀμεμπτος* conf. supra in c. II. obs. XXIX.

E

De



De *Iustitia in Lege* conf. infra ad v. 9. notanda.

XV.

Verf. 7. incipit Antecedentis membrum, *alterum*. conf. obf. X. Hic vero attendenda etiam atque etiam *antithesis* maxime emphatica, quod Paulus eadem ipsa, *ταῦτα*, quæ visâ erant *lucra*, *damnum* (iterum *metonymice*) propter Christum duxerit. At enim cur propter Christum? quia nec vitiosa, nec indifferentia, quatenus hæc vel necessitatis vel dignitatis seu meriti opinionem inducunt, cum fide in Christum possunt consistere, sed abneganda sunt. conf. 1. Cor. I, 30, 31. id quod declaratur versiculus sequentibus.

XVI.

In conversione peccatoris ad Deum vera & *realis* mutatio intra animum accidit, ex parte *intellectus* & *voluntatis*, ut Spiritus Sancti virtute *aliter* homo & sentiat & affectus sit circa res omnes, nimirum *spiritualiter*: cuius novæ indolis nec *appetitus sensitivus* expers manet. conf. Rom. VI, 8. Eph. V, 8. 1. Cor. VI, 11. Tit. III, 3. & c. Heb. III, 14.

XVII.

Non sine emphasi invenitur v. 7. & 8. in *Verbis* mutatio *temporis*, & quidem bis adhibita, ut omni cura ostendat Apostolus, eam esse mutationis illius veræ *spiritualis* rationem, quæ non incipiat tantum, verum etiam crescat ac perseveret cum accessione lucis & virium divinarum. Ut hoc eo dignius proponatur, *affectu* simul utitur vehementissimo, qui elucet ex *particulis*, item signo *universalis*, quod cum *articulo* repetitur; nec non ex *rota immoratione*, & extenuatione *metaphoricâ*, quâ quæ damnosa reputavit, *stercora* seu sordes appellat.

XVIII.

Fides in Christum *viva* ut incrementum capiat, fieri non potest, nisi augeatur apud animum despicientia *rerum humanarum*. v. 8, conf. 2. Pet. I, 4.

xix, Ab-



## XIX.

Abnegatio vera circa *objectum* geminum versatur, terrestre & celeste: nam propter hujus *eminentiam agnitam* illud deferitur, spernitur, conculcatur. v. 8. propterea quod utrumque haberi lucrum nequit, sed uno alterum expellitur necessario, ne dominari in corde possit. Atque ita fit, ut quo magis *victoria de mundo* 1. Joh. V, 4. ac naturali dignitate 1. Cor. I, 30, 31. per fidem accreverit, eo & *justificatio* certior, & uberior *sanctificatio* sentiat. Gal. VI, 15, 16.

## XX.

*Agnitio Jesu Christi*, tanquam *Domini*, est *medium*, unicum, quo summa beatitas obtinetur, ita ut nihil cum ea comparari possit. Ut autem verè illa penes hominem existat hujusmodi lucrum, intima rerum omnium meritique omnis proprii *abnegatio* per fidem isthanc se exferet necesse est. v. 8.

## XXI.

τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ ἐν ἡμῶν, est cognitionis Jesu Christi Domini mei supereminens præstantia. Duo emphasi illa (τὸ ὑπερέχον) exprimuntur: (1) quod cognitio Christi præstantior sit omnibus *prærogativis* Judaicis, aliisque rebus. (2) quod eadem habeat *eminenter* atque in se contineat omnia, quæ ad veram salutem referri ullo modo possunt.

## XXII.

Connexio v. 7, 8, 9, 10. & tota vis argumentandi ex *oppositione* liquet. Antea *confidentiam* Paulus habuerat in carne, circumcisione, nativitate, religione, zelo & legis justitia; iisque omnibus sic confusus erat tanquam *lucro*, ut in iis toto corde *reperitus* coram judicio divino stare præsumeret: nunc Christo agnito prorsus alium gerit animum, tantum abesse intelligens, ut in iis sit *confidentum*,



dum, ut potius eatenus habita *damnum* afferant; in id  
verò incumbendum non sine illorum abnegatione vi-  
dens, ut Christus ipse induatur penitus fide ceu lucrum  
unicè verum, ita ut qui in eo invenitur à iudice Deo,  
iustitiam iste habeat, in qua liceat confidere.

XXIII.

Pulchra sunt, quæ in v. 9. commentatur *Beza*: *Inve-  
niri in Christo, tacitam habet relationem ad Dei iudicium. Is e-  
nim in amando unum suum Christum contemplatur, in quo ac-  
quiescat. Itaq; quos comperit in Christo esse (id est, Christo per  
fidem insitos) in iis nullam invenit condemnationem: quia iusti-  
tia, qualem ipse requirit à nobis, id est, perfecta ac cumulata, ex-  
ornatos nos invenit, nimirum Christi iustitia per fidem nobis im-  
putata. At contrà non possunt non condemnari, quicumque in  
Christo non inveniuntur, cum non possint aliam quàm suam ju-  
stiam proferre. Ea verò nulla est, sed iustitiæ duntaxat simula-  
crum, ut ostendit Apostolus Gal. III, 10, 11, 12.*

XXIV.

Locus parallelus eximius est Rom. VIII, 1. & c. Nulla  
condemnatio iis qui in Christo Jesu, non secundum carnem ince-  
dentibus, sed secundum spiritum. Ubi subiectum ponitur cum  
fructu fidei: existenti per fidem in Christo Jesu, ut tali,  
negatur metuenda esse condemnatio, utpote quam tol-  
lit ipsa Christi communio: adjungitur verò hujus esse-  
ctus, vitæ spiritualis dominum, non quasi huic, ut tali, tri-  
buenda sit libertas à damnatione, sed ut ex eo, tanquam  
signo, fidei & communionis illius veritas censeatur. Si-  
militer hic textus habet v. 9. & 10.

XXV.

Christus reputatur lucrum eminentissimum. *Ratio  
sub quâ is habeatur lucrum ab homine, est agnitio ipsius  
ut Domini, quippe qui eum pretio redemerit 1. Cor. VI, 20.  
factus nobis sapientia a Deo, iustitiæ, & sanctificatio, & redem-  
ptio,*



ptio. ib. I, 31. *Fundamentum* est communio, quod fit ac reperitur in Christo Jesu per fidem istam verè ac *realiter*. Ephes. III, 17. Gal. III, 26, 27. Ex qua cõmunionem agnita lucrũ illud duplici potissimũ modo resultat: (1) quoad *justificationem* seu remissionem peccatorum, ut Paulus *non habeat* ampliũ suam *justitiam*, quam *ex lege* sibi persuaserat, nunc autem statuit vanam atque irritam; habeat vero *justitiam per fidem Christi*, eamque à Deo *super fide* acceptam habeat tanquam *verè suam* ex cõmunionem illa, qua fit, ut credentibus imputetur justitia Christi, in quo solo acquiescit Pater. Conf. Rom. IV, 24, 25. Gal. III, 28, 29. (2) quoad *sanctificationem*, ut agnitio fidei cum fructibus augeatur. v. 10.

#### XXVI.

Uterque *Redemptionis* fructus, & justificatio & sanctificatio, ad regnum Dei seu *Christianismum* constituendum pertinet. Nam *regnum Dei est justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sacto* Rom. XIV, 17. *in quibus servitur Christo* v. 18. Justitia quidem Christi solum imputatur ad remissionem peccatorum, sed non citra cõmunionem Christi *inbasivam*, de qua dicitur *apprehensum, applicatum meritum*: hanc enim supponit in homine tam *justificatio*, quam *sanctificatio* ex ordine Evangelii. Unde fit, ut Apostolus utramque passim arctissime conjungat. e.g. Eph. II, 5, 6, 7, 8, 9, 10. I. Cor. VI, 11. Rom. VI, 2, 3, 4, 5, 6. ostendens suo exemplo, unam ab altera nusquam separandam; tamen omnino distinguendæ sunt, penes *subjectum* propter cõmunionis Christi fundamentum existentes semper conjunctissimæ nexu indissolubili.

#### XXVII.

Differentia observanda inter *justitiam in lege* v. 6. & *justitiam ex lege* v. 9. ibi spectatur *objectivè*, quod fuerit irreprehensus juxta justitiam in lege secundum interpretatio-



raciones Judaicas requisitam: hic *effective*, quod suam justitiam, ex lege præstitam seu à lege derivatam, nullam, agnoscat.

### XXVIII.

Quando *fides Christi* appellatur, genitivus *objectum* significat, cujus apprehensio seu applicatio fiat per fidem. Conf. Rom. III, 22. quæ *instrumenti* ratio præpositione *διὰ* exprimitur, ne ipsi fidei in se spectatæ tribuatur justitia. id quod etiam innuit repetitus articulus *τῆ*, qui ultimo loco monstrat, esse quidem instar instrumenti fidem, sed justitiam esse à Deo, & ita quidem, ut *super* annunciata & effecta fide ista & tribuatur & imputeretur. Conf. loco siminis Act. X, 43, 44. Non ergo idem prorsus denotant *διὰ* & *ἐπι*, verum ut eo instrumentum, ita hoc altero videtur *predicationis* ordo & efficacia insigniri, quam digne acceptam & justificationem & sanctificatio sequitur. Gal. III, 5, 6.

### XXIX.

Opponuntur v. g. *ex Lege* & *ex Deo*. Hoc intelligendum pariter statuimus, ut I. Cor. I, 30. *Ex Deo vos estis in Christo Jesu, qui factus* & c. item Eph. II, 8. *Gratia estis servati per fidem; & hoc non ex vobis: cui opponitur, Dei donum est: atque additur, non ex operibus, ut ne quis gloriatur. In tuemur proinde ut synonymicas locutiones, δικαισθήν θεῶ Rom. I, 17, III, 21, 22. & δικαισθήν ἐκ θεῶ. h. l.*

### XXX.

Justitiam Christi, ut in communione seu *applicatione* fidei spectatur, *imputatam*, vel *justificationem*, sequuntur *justitia fructus*; quos non tam externos mores seu opera dicimus, quam affectus motusq; cordis internos, utpote quibus *simpleri* debent fideles ita, ut fiant *per Jesum Christum* i. e. oriundi ex intima ejus communione, per fidem efficacissima. c. I, v. II. conf. hic *Versio Lutberi Germanica*.

### XXXI.



## XXXI.

V. 10. explicatur τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως v. 8. siquidem τῆ γνώσεως referendum ad verba v. 8. ultima, ἢ καὶ ἕξισον κατέδρα, & priora v. 9. ἢ εὕρηθῶ (inveniar) ἐν αὐτῷ, ut infinitivus cum articulo gerundii vicem sustineat, verbis finitis additus, uti Luc. XXIV, 29. observante S. Glass. Phil. L. III. tr. III. can. 39. Apparet idem ex postremis v. 10. verbis: συμμορφουμένος &c.

## XXXII.

Obviam hic itur non tantum opinionibus Pharisaicis de propria justitia ex Lege, verum etiam advertæ parti alteri aburentium *libertate Christiana*, neque hanc digne capientium, sed imaginantium sibi justitiæ *imputationem* citra communionem Christi *inhabitantem* atque efficacem seu *regenerationem*. Conf. Rom. III, 5, 6, 7, 8. VI, 1, &c. VIII, 1. 4. 12, 13. Gal. II, 19, 20. V, 13, 14. &c.

## XXXIII.

Scitisfime animadvertunt Interpretes in *Synopsi Criticorum Poli* circa vocem γνώσεως. *Ut cognoscam non tam theoretice, quam practice; non tam per fidem (historicam) quam per vivam experientiam, sive gustum spiritualem, quo sentiam, ex ejus in me efficacia, cum vere talem esse &c. Notitia hic, ut saepe, pro sensu & experientia, & per Metonymiam, pro communiōne Christi.*

## XXXIV.

Τῆ γνώσεως αὐτῶν, interpretamur de agnitione fidei salutari, efficaci atque experimentalī, quatenus illa & *justificando*, sive in justificatione confirmando, & *sanctificando* necessaria est. conf. c. I, 9. Eph. I, 17. &c. 2. Per. I, 8. I. Joh. V, 20. αὐτῶ exprimit vivam ipsius Christi inhabitationem & communionem: sequentia designant agnitionem ejus secundum *effectus*, ex quibus agnoscitur.

## XXXV.

Si sermo fuisset de homine *convertendo*, mentio communio-



munionis passionum Christi præmittenda fuerat resurrectionis efficacia, ut Rom. VI, 4. &c. quando autem Apostolus de se loquitur, ut *converso, justificatio & sanctificatio*, experientiam potentia Christi resuscitati merito præponit, ut hoc ipso doceat moneatque, vim resurrectionis Christi efficere in fidelibus, ut communionem per personam Christi eo efficacius ac constantius experiantur.

XXXVI

*Vim resurrectionis Christi & de justificatione & de sanctificatione intelligi debet. De justificatione, quandoquidem Christus excitatus est propter justificationem nostram. Rom. IV, 24, 25. 1. Cor. XV, 17, 18. De sanctificatione, quoniam sicut ille resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos nova vita oportet incedere. Rom. VI, 4. ubi, quod efficiatur id ipsius resurrectionis Christi viribus, subjungitur: nam si cum eo plantati fuimus in conformatione mortis ejus, immo vero & tales erimus ratione resurrectionis v. 5. conf. ib. v. 8. 11. Utroq; modo vim resurrectionis agnoscunt vere credentes, eamq; ut efficacitatem roboris potentia divina, cujus operatione ipsi credant. Ephes. I, 19. Col. II, 12. conf. Phil. III, 21.*

XXXVII.

*Communio per personam Christi pariter duobus modis sumi potest. De justificatione, quatenus imputatur nobis satisfactio Christi fide apprehensa. Rom. III, 25. IV, 25. quo sensu accepta non excluditur Rom VI, 4. & Coloss. II, 12. quanquam & ibi, sicuti hic, potius de sanctificatione agitur. Gestit etenim Paulus magis magisque intra se experiri, quod veteri homine crucifixo cum Christo h. e. ex efficacia passionum ipsius & mortis communicata) peccati corpus aboleatur Rom. VI, 6. quo pertinent quoque afflictiones variae, quarum occasione fit, ut homine externo corruptionem sentiente, internus renovetur in dies. 2. Cor. IV, 16.*

XXXVIII.



## XXXVIII.

Verba apposita: *συμμορφώμενοι τῷ θανάτῳ αὐτοῦ*, ut agnoscens ipsum conformis fiam morti ejus: expresse indicant, de effectu agnitionis *inbasivo* potissimum agi, ex quo etiam de statu gratiæ certissimo firmissimoque judicandum sit. Quod vero Apostolus *imagini filii DEI conformis* (conf. Rom. VIII, 29.) fieri optat secundum illius mortem & passiones, in eo testatur de salutis ordine & via, incipiente à communione crucis, & ducente ad resurrectionis seu gloriæ communionem, & in *Conversione* & in *Renovatione*. Conf. sup. in Cap. II. an. XVIII. Quod quidem haud pugnat cum observ. xxxv. qua rationem tradidimus, propter quam mentio resurrectionis primo sit loco facta. Etsi enim in Renovationis negotio vis resurrectionis Christi primarias partes obtinet, tamen ipsa efficacia Christi resuscitati non nisi in *contritis*, h. e. mortis Christi similibus actuosa & potens exferitur. 2. Cor. XII, 9. 10. conf. 1. Cor. XV, 31. 2. Cor. IV, 7, 10, 11. 16.

## XXXIX.

Sic ordo sibi constat pulcherrime in *renovando*: Justificatus summopere gaudet crescere in agnitione Christi & virium resurrectionis ipsius, quarum efficaciam per fidem expertus est, pacem & gaudium in Spiritu sancto indeptus; hoc robore instructus varias & *tentationes* & *calamitates*, atque in iis denuo communionem passionum Christi experitur (non tantum in *societatem* illarum veniendo, sed & virtutem *crucifixionis* Gal. V, 24. *patientia*, spei &c. Rom. V, 3. 4. ex eâ præstando) justificationis statum custodiens; ita fit, ut, quò magis conformis redditur morti Domini, eo fortius resurrectionis Christi efficacia penes ipsum efflorescat, tendens ad futuram illam ex mortuis gloriosam. Conf. 1. Per. I, 7. Rom. VIII, 10, 11. 2. Cor. V, 1, &c.



## XL.

Ἐπιπῶς, siquo modo: non significatur affectus dubitantis, sed difficultatem sentientis, nec desperantis, sed confidentis cum iusta sollicitudine, ut c. II, 12. Conf. Rom. XI, 14. Difficultas versatur in modo. Prioribus lucris ejusmodi quid nullo pacto consecurus esset; nunc invenit Paulus aditum per cognitionem Christi, sed hanc animadvertit non aliter ad metam perducere, nisi & communio passionum Christi fideliter agnoscatur. conf. Luc. XIII, 24. Rom. VIII, 17. & Actor. XXVII, 12. cum eodem verbo *proprie* usurpato.

## XLI.

Ἐξανάστασις τῶν νεκρῶν videtur respicere ἀνάστασιν χριστοῦ, ut hujus acquisito jure & efficacia sit illa exitura; nec non emphatice *προσῆχο* ἐξ denotare τὸν ἀνάστασιν τὸν ἐκ νεκρῶν Luc. xx, 35. quæ Luc. XIV. dicitur cum *apposito* τῶν θανάτων, vel Joh. V, 29. ζῶνς, opposita resurrectioni νεκρῶν. Quid vero sit *κατανήσω*, *perveniam*, *evadam* (Vulg. occurram seu obvius fiam) ad ipsam resurrectionem mortuorum, momenti est maximi. Emphasis sane in verbo reperitur, cujus sensus ut anim. xxxix. quodammodo enucleatus fuerit, ita loco fortasse an paralelo non parum illustrabitur, Ephes. IV, 13. & saltem quod sensum 2. Pet. I, II. coll. cum v. 5. quod, *si studiose in agnitione Domini nostri JESU Christi subministremus fidei exercitium, etiam copiose subministretur nobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Servatoris Jesu Christi.* Conf. Luc. XX, 35.

## XLII.

Verf. 12. *Occupatio superioribus subjungitur, quod ipse videri posset gloriari in semetipso, locutus de profectu Christianismi interno, cum tamen supra tantopere negarit se gloriari ulla in re, nisi in JESU Christo. Ad hoc respondet, non ita se velle intellectam studii in Christiani-*



stianismo sui mentionem; & verò seipsum rotundè negare, tum quod jam *perfectus* sit ita, ut jam ipsa praxi & mente apprehenderit omnia plenario, quæcunque in Christo Jesu ad agnoscendum & imitandum proponantur v. 12. tum quod de se existimationem habeat, quasi apprehendisset ita, v. 13. conf. 1. Cor. XIII, 12. Cæterum affirmat se gloriari in eo, quod *sufficienter ad salutem* apprehensus sit a Christo JESU, eà cum efficacia, ut vires etiam nactus fuerit magis magisque assequendi indefesso fidei molimine, quorum assequendorum gratia sit apprehensus.

XLIII.

*Δύο*, *persequor*, duobus modis in eodem capite usurpatur; *proprie* v. 6. *improprie* de studio acerrimo v. 12. & 14. conf. 1. Cor. XIV, 1. 1. Tim. VI, 11. Quæ significatio hîc v. 12. acuitur particulâ *ἐν* apposita, quâ, uti & *ἐπι* v. 11. (conf. an. XL.) difficultas notatur; quæ vel inde liquet, quod, licet vires a Christo apprehendente fidelibus collatæ sint, tamen, ut iis recte utantur, conformatio mortis ejus semper adhuc requiratur. Conf. v. 10, 11. it. Act. xxvii, 39.

XLIV.

In vera conversione, seu regeneratione, apprehendimur à Christo per fidem, h. e. virtutem mortis ac resurrectionis Christi sic experimur, ut peccatis morientes una vivificemur ipsius spiritu: post conversionem vires utriusque & mortis & resurrectionis ejus, quas experti accepimus, *active* exercemus, *cooperantes* renovandi, conantesque *apprehendere* magis magisque oblatam vocationem DEI in JESU Christi. v. 12, 13, 14. Conf. 1. Pet. I, 13. & 2. Pet. I, 10.

XLV.

Uti Paulus vanam gloriationem à se removit, ita inculcat v. 14. unius summi boni unice perfequendi neces-



cesitatem: cujusmodi *amplificatione*, ex oppositione multorum à tergo relinquendorum, similiter Christus ad Martham utitur. Luc. X, 41, 42. Quod quidem admonitionis genus, sub exemplo Apostoli prolatum, simul respicit ea, quæ exemplo Christi cap. II. proposita sunt de *exinanitione* (abnegatione, pro statu peccati nostro) ducente ad gloriam futuram conf. finis cap. III.

XLVI.

Negotium Renovationis dirigendum est secundum *objecta Evangelii* in promissionibus divinæ *vocationis*, cuius in Christo Jesu fundatæ, ipsiusque opum meditatio maximopere excolenda. v. 14. Conf. Eph. I, 18. Usus *Legis* non excluditur, quatenus inservire potest & *pædagogicè* & *didascalicè*.

XLVII.

Emphaticè jubemur *oblivisci quæ à tergo sunt*, sive ad legis, sive ad mundi abusum pertinuerint. Nihil enim accommodatius Christi fidelibus, quam eorum oblivisci: nam quò impensius ardentiusque ipsum diligunt & sequuntur, eò facilius reliqua oblivione piâ sepeliri possunt. Atque hujus observationis magnum fanè momentum in *praxi* est, cum difficillimum reperiatur, luctâ quadam legali profligare *adhesiones* inveteratas; usu autem æmulationis Evangelicæ, quæ bonorum cœlestium admiratione à tergo relinquit terrestria cum fastidio, eadem sensim abstergantur quasi *obliviscendo*.

XLVIII.

V. 15, 16. concludit demonstrationem hætenus productam, quod ita affecti esse debeant, quicumque ad maturitatem Christianismi se protractos existiment; quam secundum affectus cordis internos exquisitiùs dijudicandam tradere inceperat c. II, 5. atque hic c. III. ex origine recognoscendam proposuit, docens qui ei adversum quid



quid consentaneum sit; nunc etiam v. 13. stabilit tenendam firmiter: quanquam *infirmorum* memor addit, fieri posse, ut nonnulli adhuc aliter quiddam sentiant, v. c. *circumcisionem* magni tamen faciendam &c. iisq; Apostolico sensu nondum perfectis seu integris, pollicetur fore, ut & illud ipsum, tantopere commendatum, à Deo plenius sibi patefactum agnoscant (conf. Eph. I, 17.) nimirum, quantopere ejusmodi omnia, quæ & in naturam sibi relictam possunt cadere, si quid illis tribuatur, fidei & gaudii spiritualis incremento obfunt: interim vero ab iisdem requirit v. 16. ut quod ad fundamentum & *regulam* fidei attinet, ne quid secus sentiant, sed idem planè: siquidem eò omnes pervenerint, ut sciant, hominem ex nullà re alià probari coram Deo, quam ex agnitione Domini nostri Jesu Christi verà & viva.

XLIX.

Non omnes Christianorum Philippensium dicuntur *τέλειοι*, perfecti, integri, adulti: neque autem *perfectio* intelligitur *absoluta* seu consummata, sed hujusmodi, quæ conjuncta cum durante quadam *imperfectio* sit, v. 12. neque tamen est *perfectio justificationis*, quæ non potest non esse absolutissima in Christo JESU; sed *sanctificationis*, quoad mentis & voluntatis affectum, descripta luculentissimè Hebr. V, 13, 14. Conf. I. Cor. II, 6. III, 1. &c.

L.

*Studium Theologie*, quo præparantur, qui aliis præesse in Christianismo queant, ita instituatur necesse est, ut non modò *intellectus* notitià rerum ad salutem pertinentium, verùm etiam *voluntas* affectu, sensu & gustu spirituali circa eas excolatur, ut verus inde existat *habitus* discernendi quæ discrepant coram Deo. Conf. Phil. I, 9, 10. & I. c. Hebr. V, 13, 14. it. Rom. XII, 2, 1. Cor. II, 12, 13. 2. Cor. III, 5, 6. &c.



## L I.

Etiam si discrimen admiserit Paulus firmorum atque infirmorum, adultorum & infantium in Christianismo, tamen & his summopere necessarium esse docet, ne regulam *sanctificationem* deserant, nisi ipsam *fidem & justificationem* perdere velint. Opponit ergo se & alios secundum eam incedentes, tanquam typum atque exemplar, Pseudapostolis aliisque multis, perperam agentibus, v. 17, 18.

## L II.

*Infirmi* quidem tolerari possunt ac debent, sed quatenus verè infirmi sunt, nec libertatem carnis sectantur, crucis Christi hostes evadentes; qui non tamen infirmi appellandi, quam obdurescentes, fideique efficaciam exuentes.

## L III.

*Crucis Christi hostes* sunt, qui vel præter Christum gloriam quærunt ex semetipsis aliisque, ut Gal. VI, 13, 14. vel efficacitatem crucis Christi abnegantes, non serio agnitioni virium resurrectionis, mortisq; Christi communionis student, neq; eo mentem voluntatemque profusus intendunt, sed potius ad *terrestria*. Conf. v. 10. 15. 19. E- quidem *genus tertium* datur eorum, qui in statu gratiæ sunt remissiores, seque facilius abstrahi sinunt partim, abusu *legis*, partim à *mundo* imbecillitatibus plurimis; verùm hi num adhuc Christo adhæreant, censendum inde, si adversus ejusmodi infirmitates pugnare in Christo haud desistant: nisi enim victoriam custodiant, Christum deserunt omnino deplorandi. conf. 2. Pet. II, 19.

## L IV.

*Venter* istorum dicitur decus, qui ipsius cupiditates dominari sibi patiuntur; iidem gloriantur in vitiis, quæ, si- ve judicentur homines si- ve convertantur, sequitur  
*pudor,*



*pudor, finisque exitium, nisi cessarint per fidem. conf. Rom. VI, 17, 20, 21. 23.*

LV.

Cura *terrestrium* nullo modo felicius superatur, quam Evangelica meditatione bonorum *caelestium* in Jesu Christo, cum precibus conjuncta, si *subjectum* peracta poenitentia per fidem in statu gratiae constitutum sit. v. 20, 21, Conf. supra observ. xviii. & xix. cui & *legalis maledictionis* recordatio inservire potest v. 19.

LVI.

*Nostrium vero πολιτευμα in caelis existit*, v. 20. quae loquendi ratio opponitur antecedenti, τὰ ἐπίγεια φρονήσεις, nec non & verbo περιπατεῖν. 17, 18, 19. Conf. usus vocis πολιτεύειτε cap. I, 27. & in idem cap. obi. xxxv. supra uti & Rom. VIII, 1. Christianorum igitur verorum πολιτευμα, civitatis quasi institutum, in caelis ita existit, ut, quemadmodum homines hujus mundi terrestria curant, iisque acquirendis conservandis atque augendis sese accommodant omni vivendi ratione; sic contra illi omni animo curent caelestia, ut quicquid etiam terrenorum in sensu atque animum incurrat, non aliter spectetur, quam quatenus cum iis conservandis atque augendis consistere potest, officio spirituali manente inconcussio: id quod τὸ ὑπάρχειν evincit, conferatur Hebr. X, 34. & supra c. II, 6.

LVII.

Recte ergo *Augustinus* distinguit inter *uti & frui*, ita nempe creaturis utendum, ut semper ducamur ad fruendum ipso DEO. L. I. de doct. Chr. c. 3. &c. Quae sane observatio locum nostrum mirifice illustrat, quando idem c. XXII. scribit *Cum ait, Toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitae nostrae partem reliquit, quae vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quicquid aliud*  
diti-



diligendum venerit in animum, illud rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima tota mente diligit Deum. Sic enim eum diligens tanquam se ipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem DEI, que nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur. Et cap. xxxv. Tota pro salute nostrâ per divinam providentiam facta dispensatio temporalis, ut eâ debeamus uti, non quasi mansoria quadam dilectione atque delectatione, sed transitoria potius, tanquam via, tanquam vehiculorum vel aliorum quorumlibet instrumentorum; aut, siquid congruentius dici potest, ut ea quibus ferimur, propter illud, ad quod ferimur, diligamus.

LVIII.

εἰς ἃ ἔ, emphatice sub argumentandi ratione dicitur: Si civitatis nostræ rationem ita in cœlis habemus, ut inde etiam expectemus servatorem; & eum quidem, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fiat ipsius corpori glorioso; nec quidquam dubiū ista promissio admittit, quia est omnipotens: certe non ita curanda sunt terrestria, sed affectus gerendus, qui ejusdem venturi Jesu Christi proprius sit V. 20. 21. conf. 19. 15. c. II, 5. Ad v. 20. conf. Tit. II, 13.

LIX.

Verf. 21. verba singula admodum emphatica sunt pro scopo & sensu Logico. Promissio de corpore glorificando opponitur iis, quibus venter deus est. v. 19. Dicitur autem τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν ut meminerimus, quem admodum Dominus tempore exinanitionis suæ se submisit c. II, 8. ita & nos oportere deprimi c. IV, 12 (conf. 2. Cor. IV, 10. V, 1. 6. 8. 10. 1. Pet. V, 6.) nec ante maturum, tempus dominari. 1. Cor. IV, 8. &c. Dicitur μετασχηματίσει, transfigurabit, ne gaudeamus σοχοματιζόμεθα τῷ αἰῶνι τούτῳ, confi-



configurare nos huic seculo, sed hoc tempore μεταμορφῶσθαι,  
transformare nos renovatione mentis nostræ, ut transfi-  
guratio gloriosa possit consequi. Rom. XII, 2. quâ αὐτὸ,  
ipsum illud, quod hic conformare factum ipsius morti v.  
10, 11. conf. 1. Cor. XV, 53, 54. fiat deinceps σύμμορφον τῷ  
σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, corpori ejus glorioso. Dicitur κατὰ  
τὸν ἐνέργειαν, secundum efficacitatem omnipotentia, ut in-  
nuatur, nos primum efficaciam resurrectionis Domini  
vera fide experiri debere v. 10. conf. Eph. I, 19. & corda ac  
corpora nostrâ ei obsequiosè subicere ipsius potentia;  
ut hinc nulli dubitemus, similiter subjecturum ipsum ali-  
quando sibi omnia plenissime.

LX.

Inceperat Apostolus caput tertium à gaudii spiritualis  
commendatione, amovit obstacula, ostendit viam ex-  
emplo suo, auctores vani gaudii deflevit; denique huic  
veram denuo opponit lætitiâ, ipseque ut antea fon-  
tem in agnitione Domini nostri Jesu Christi aperuit, ita  
hic rivum uberrimum expectatione ejusdem gloriæ sub-  
ministrat. v. 20, 21.

IN CAPUT IV.

I.

**P**ostquam Philippenses ad renovationis negotium fide-  
liter excolendum inflammati sunt c. I. ex commu-  
nitione potissimum exercitii fidei & passionum: c.  
II. ex humilitatis & charitatis indole necessaria: cap. III.  
ex gaudii spiritualis præstantia, fundata in Domino ag-  
noscendo: tandem c. IV. totum renovationis opus ite-  
rum iterumque inculcatur modo prorsus Evangelico.  
Primum spe gloria consecuturæ suspensi jubentur sic stare  
in Domino, excitanturque appellationibus & dulcissimis &  
glo-

G



gloriosissimis: cujusmodi *morata* oratio non parum efficit, si non indigni sint, erga quos adhibetur.

II.

Non susque deque habendum, quod præmissa tali excitatione Paulus in familiarem admonitionem sanctarum *feminarum & virorum* incidat v. 2, 3. id quod fiducia firmandæ causâ omnino factum, ut testatur sequens verba 4. de gaudio servando. Ad dictionem istam v. 3. *quorum nomina in libro vitæ*, conf. Dan. XII, 1. Luc. X, 20. Apocal. XIII, 8.

III.

Dignum Evangelio officium est, præter cætera, gaudium in Domino fundatum conservare firmisimum atque immotum. Conf. in cap. III. an. II. &c. Ad quod ipsum retinendum reliqua omnia requiruntur, uti ex vers. sequentibus patet: vera proximi *dilectio* v. 5. constans erga Deum *fiducia* v. 6. intra animum *pax divina* v. 7. Quemadmodum verò antecedenti cap. remota sunt gaudii illius impedimenta, quæ fundamentum *justificationis & sanctificationis* tollunt, ita hic, quæ *sanctificationis* incremento obstant.

IV.

τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν, adjectivum pro substantivo emphatice, ut c. III, 8. reddi potest, *benignitas* vestra; non, qualis celebratur in Felice Præfide Act. XXIV, 4. *ethnica*, seu *hypocritico-politica*; sed *Christiano-politica*, qua bonitatem illam Christi 2. Cor. X, 1. experientes imitamur. Neque temere de hoc officio *dilectionis* toties præcipiunt *Apostoli*, quod *Philosophi* vocant *ἐπιείκειαν*. inquit *Apolog. Aug. Confess.* p. 107. Conf. *ibid.* p. 104. ubi fufius declaratur, & p. 96. dicitur pertinere ad *externam regni Christi inter homines politiam*. Alibi præcipitur illa exercenda adversus fratres ut Gal. VI, 1. nomine *Φιλαδελφίας*, hic vero ostenditur, quod



quod in *Φιλὰδελφία* etiam demonstranda sit *ἀγάπη* erga omnes homines, ut docetur 2. Pet. I, 7. cuius specimen est *ἐπιείκεια*, virtus æqui bonique omnia consulens *salvâ conscientiâ*.

V.

*Dominus propè est.* Argumentum & Evangelicum, & nervosissimum, quo & *meditatio* illa superior c. III, 20, 21. ad animum revocatur, & objectio quævis de injuriâ hominum & miseria ferendâ refellitur.

VI.

Anxietas curarum (*μεζυμοί*, secans quasi) turbat hilaritatem spiritualem, ideoque vitanda est funditus, ne unquam circa ullam rem admittatur. Conf. c. I, 28. Quæritur, an evitari queat omni in re? respondet Apostolus, posse à *fidelibus* utrique. interroganti, qua ratione? respondet, si desideria (omnia, seu omnis sollicitudo 1. Pet. V, 7.) dignè ad Deum deferantur: at dignè h. e. interpretatione Apostolica, τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει, oratione & obsecratione, nimirum precibus veris: atque ardentibus. Additur autem, μετὰ ἐυχαριστίας, cum gratiarum actione, ne fiant *servili* hæsitatione, sed *filiali* cum fiducia ex agnitione beneficiorum divinatorum, quorum mentionem orantes si frequentant, augetur fides. Conf. c. I, 3. & obs. VII. Eph. V, 4. Pf. L, 23.

VII.

*Requisitis* illis observatis, gaudium filiorum Dei non extinguitur in adversitatibus quibusvis & calamitatibus, sed potius firmatur; nam *afflictio tolerantiam efficit, tolerantia verò experientiam, experientia spem, non pudefacientem, eò quod charitas Dei in corde effusa est per Spiritum Sanctum.* Rom. V, 3, 4, 5. Idem nexus hic v. 6. & 7. continetur; gratiarum enim actione cum precibus florente, & charitas DEI & pax DEI in animo durat, cum quibus



gaudium spirituale conjunctum semper est. Conf. in c. III. obf. III, it, Jac. I, 2.

VIII.

V. 7. καὶ particula infert *consequens* constantis gaudii fundamentum, eodem modo ut v. 9. *pax DEI* est divina animi tranquillitas, ex sensu fidei *justificandis* orta. Rom. V, 1. ubi hæc dicitur primò πρὸς τὸν Θεὸν deinde est gloriatio ἐν τῷ Θεῷ, ib. v. 11. Proprietas ejus pacis apponitur, quod superet (ἡ ὑπερέχουσα conf. c. III, 8. & an. XXI.) omnem intellectum, videlicet tam ratione originis, quam cognitionis & effectus. conf. Eph. III, 19. *Effectus* enim sequitur, quod *requisitis* observatis verarum precum & gratiarum actionis in fide ac charitate, futurum certè sit, ut pax illa Dei *custodiat* (verbo *militari*, quod idem significat 1. Pet. 1, 5.) & *cor* seu voluntatem, & *mentem* in Christo JESU, h. e. ut ne fiducia, aut agnitio gratiæ in ipso, tentationibus succumbat. Conf. c. III, 12, 1, 8.

IX.

V. 8. *scopus* generalis, de renovatione omnibus modis excolendâ, comprehenditur, confirmatus iterum auctoritate & exemplo Apostolico (conf. 1. Cor. XI, 23. XV, 1, 2, 3. Eph. IV, 20, 21.) & eâdem pacis promissione, v. 9. (quod paci Dei tribuitur v. 7. de ipso auctore pacis Deo affirmatur v. 9. quanquam hic locus externam pacem erga alios unâ complectitur. conf. Rom. XV, 5, 13) Quæ quidem repetita pollicitatio ostendit, v. 8. & 9. stabiliri *antecedentia*. Quocirca duo ista se invicem respiciunt, ταῦτα λογίζεθε, ταῦτα πράσσετε, ut prius ad mentem, postèrius ad voluntatem referatur (conf. v. 7.) innuaturque, in renovationis opere gratiam cooperari, nec facultates humanas, viribus Spiritus S. instructas, esse otiosas debere, sed versari operosè circa bona omnia, ut pax, inenarrabile bonum, conservetur à Deo, neque hic offendatur.



datur. *Discendum* quippe est in *conversione & renovatione.*  
v. 9. II. Eph. IV, 20, 21.

X.

*Anaphora*, iteratâ voce *ora*, studium indefessum, quod  
singulis virtutibus debetur, graviter notat, Conf. in cap. II.  
an I. II. Nec verò ipsa distributio ordine destituitur, veri-  
tatem *universaliter* sumtam Eph. IV, 21. sequente gravita-  
te, tanquam ejus documento, dehinc justitiâ & tempe-  
rantia, denique amabilis & honestæ vitæ studio in exter-  
nis. Conf. in Cap. I. an. XII. Eph. V, 9. Mundus cum sit po-  
sterioribus primario deditus, nihil veri operatur.

XI.

Meditatio virtutum, seu *usus* Legis *didascalicus*, agni-  
tioni atque imitationi Jesu Christi Evangelicæ non offi-  
cit, verum infervit commodè, si instituat in ipso, h. e.  
cum gratiæ & *justificantis* & *sanctificantis* dignâ *applicatione.*

XII.

Postrema pars à v. 10. epilogo est conveniens, de-  
agnoscenda v. 10. 14. 18. & laudandâ v. 15. 16. 18. Philip-  
pensium benignitate, amorem Apostoli apud eos obse-  
quans. Quod ipsum uti abs se *moratum est*, ita huic digni-  
tas divina accedit ex *moribus* admittis *spiritualibus*, animi  
Christiano modo omnibus contenti, v. 11, 12. ad omnia  
confirmati, v. 13. spectantis non suam, sed Philippensium  
utilitatem solam in augendis bonis præsertim cœlestibus.  
v. 17. 19. gloriamque Deo deferentis. v. 20.

XIII.

Observandum quoque, spargere Apostolum in Epi-  
logo supra dictorum semina, ut memoria ipsorum eò  
hæreat tenacius. V. 2, 3. præcipit charitatem, ut c. II, 2.  
&c. humilitatem uti ibid. ita hic v. 5. V. 6, 7. fiduciam &  
pacem ex precibus. conf. c. I, 19. &c. V. 4. gaudium spiri-  
tuale (conf. cap. III, 1.) restans etiam, vers. 10. se gavi-  
sum



sum in Domino magnopere de Philippenſium pro fe-  
 cura, iterum docet variam lætandi cauſam eſſe licitam,  
 ſi fundetur in Domino. conf. in c. III. an. II. V. 8. reno-  
 vationem in omnibus, ut cap. I. 9, 10. exemplo Apo-  
 ſtolico v. 9. ut c. I. 30. &c. Verbo ταπεινώσαι & ſequenti-  
 bus v. 12. imitationem Chriſti denuo inſinuat. conf. c. II.  
 8. &c. III. 21. nec non agnitionis Chriſti potentiam v. ſeq.  
 13. conf. cum c. III. 10. 12. 14. 21. V. 14. 15. communionem,  
 conf. c. I. 5. 7. &c. an. X. V. 17. non proprium ſpectandum.  
 conf. c. II. 4. 21. V. 10. 18, 19. curam pro Miniſtris Deo ac-  
 ceptam. conf. II. 17. 30.

XIV.

V. II, 12, 13. Veræ virtutis duo optima indicia ponuntur: (1) Si ad utrumque oppoſitorum, in rebus ad-  
 verſis æquè ac ſecundis, ſufficiat: cujus *requisit* neces-  
 ſitas *immoratione* urgetur. (2.) Si robur hujusmodi non  
*coælivum* ſit, quæ mera eſt hypocrifiſis, ſed ex inhabitant-  
 tis Chriſti communionem per fidem oriatur. ubi emphaticum,  
 ἐνδυναμῶντι, conf. c. III. 10, 21. & an. XXXVI.

XV.

Maximè emphaticum eſt v. 12. μερόνημα, initiatus  
 ſum, ut ij, qui ad res ſacras aptandi ſunt. Et verò ita  
 ratio comparata eſt fidei, ut ea ad abnegationem rerum  
 omnium propter Chriſtum initiemur. Conf. Rom. XII,  
 1. Unde & tali ex animo profecta benignitas v. 18. dicitur  
*odor bonæ fragantiæ, hoſtia Deo accepta ac grata.* conf. in  
 c. II. an. XXXIV. XXXV. & XXXVI.

XVI.

Συνάφεια contextus non prohibet, quò minus illud,  
 πάντα ἰσχύω v. 13. cum Apoſtolo ab *hypothefi* ad *theſin* trans-  
 eundo, intelligi poſſit de omnibus Chriſtiani officii par-  
 tibus. Conf. c. I. 29, 30. Etiamſi autem hic liceat ſenſum  
 intra hypothefin continere, tamen negare *rem* ipſam,  
 quod



quod verè conversus potentia Christi valeat præstare, omnia, quæcunque fuerint Christianismi *partium* (de *gradibus* omnino aliter sentiendum) id vero *analogiæ fidei* ad-  
verfatur. Conf. v. 8, 9. & supra c. I, 10, 11. an. XVII. & in  
c. III, an. XXX. it. 2. Pet. I, 3. & c.

#### XVII.

Si indigentia aliorum propter Christum consuli-  
tur, beneficia remunerantur à Deo, prout corporis at-  
que animæ salutis fuerit opus. v. 19. conf. 2. Cor. IX,  
10, 11.

#### XVIII.

Magni ponderis sunt distinctæ dictiones, *κατὰ τὸν  
πλεῖστον αὐτῶν, ἐν δόξῃ, ἐν χριστῷ Ἰησοῦ*. Quibus confirma-  
tur quam maximè promissio, quandoquidem & posse  
& velle Deum, asseveratur. *κατὰ* significat facultatem  
potentiæ, ut c. III, 21. atque hæc designatur *opibus*, quæ  
ut infinitæ intelligantur, accedit *ἐν δόξῃ*, ut Eph. III, 16. I,  
18. *gloria* enim *attributa* ipsa divina denotat; quorum  
de communionem ut ne dubitetur, additur *ἐν χριστῷ Ἰησοῦ*  
utpote qui nos ad eorum consortium evehit per fidem.

#### XIX.

De *salutationibus*, aliisque ejusmodi charitatis signi-  
ficationibus vid. c. III. an XXXVII. Hic verò cap. IV,  
22. notandum, quod maxime salutare dicantur, qui *ex  
Cæsaris domo* conversi erant. (Conf. in cap. I. an. XXI.)  
Ex quo intelligitur, quo insignior, ac major animi &  
fortuna mutatio penes *Conversos* acciderit, eò ardenti-  
orem apud eos solere dilectionem Christi & filiorum Dei  
esse. Quanquam & hoc loco profectus Evangelii una de-  
claratur. Conf. c. I, 12, 13.

#### XX.

Vers. 20. & 23. animadvertendum offerunt, uti ini-  
tium factum à *gratiarum actione* & *precibus* c. I, 3, 4. ita  
qui-



quibuslibet considerandis bonis, ad DEUM glorificandum, juxta v. 20. cum antecedentibus; & quavis diligentium recordatione, ad piam pro ipsis obsecrationem, juxta v. 21, 22, 23. nos excitari oportere. Neque enim, subsistendum in re ulla, sed traducenda omnia ad DEI ipsius gloriam ac misericordiam celebrandam in Christo JESU.

## FINIS.

---

### ADDENDA ET EMENDANDA:

In Cap. I. An. XXIII. lin. 4. leg. c. III, 16. IV, 14. An. XXXIV. lin. 4. in fine add. Conf. Gal. V, 13. An. XXXVIII. add. Conf. Phil. Glass. I. III. tr. VI. can. 14.

In Cap. II. an. IX. lin. 24. leg. *μορφῆ*, & c. lin. 68. *θεῶ*. An. XIII. lin. 20. *ἑταπεινώσε*, An. XVIII. lin. 6. delet. V. ut leg. I. Cor. III, 8. In fine add. Luc. XIV, 11, An. XXXV. lin. 1. leg. *τῆ θυσία*, An. XXXIX. lin. 3. *εὐαγγελίῳ*. In fine add. Conf. Rom. XIV, 18. Phil. III, 3. An. XLI, 3. lin. 2. post. conf. add. c. IV, 16. 19.

In Cap. III. an. XI. lin. 2. post fideles add. aliosque veros Ministros. lin. 4. add. Conf. in Cap. II. an. XXXIX. cum addendis. An. XXXI. lin. 3. add. post (inveniar conf. A& V, 39.) An. XXXIV. lin. 5. leg. *αὐτὸν* & c. An. XLI. lin. 10. leg. fortassean parallelo & c. An. LV. in fine add. Confan. XLVI. An. LVII. lin. 7. leg. ut aliâ & c.





153 635

AB 153635 (1)

VD 18

ULB Halle 3  
003 359 697




fr

TA

VD 18











8

ANIMADVERSIONES  
EXEGETICÆ ET DOGMATICO-  
PRACTICÆ  
IN  
EPISTOLAM S. PAULI  
AD  
PHILIPPENSES

IN ALMA ELECTORALI FRIDERICIANA  
EXERCITATIONIBUS PUBLICIS

XXIII. ORDINARIIS,  
atque SOLENNI unâ

A. d. XIII. Septembr. ab horâ nonâ ad duodecimam,  
ad disputandum propositæ.

PRÆSIDE

JOACH. JUSTO BREITHAUPT,

S. Th. D. P. P. Semin. Th. Direct. & Confil.

Consist. Ducat. Magdeb.

RESPONDENTE PERPETUO

WOLFGANGO BALTHAS. RAUNERO,  
AUGUSTA-VINDELICO.

Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typ.  
ANNO MDCCIII.